DISSERTATIO ZOOLOGICA,

ENUMERATIONEM

MAMMALIUM CAPENSIUM

CONTINENS.

DISSERTATIO ZOOLOGICA,

ENUMERATIONEM

MAMMALIUM CAPENSIUM

CONTINENS;

TRIBUS TABULIS ADJUNCTIS:

AUCTORE

JOHANNE SMUTS,

MATH. MAG. AC PHIL. NATUR. DOCT.

LEIDAE

APUD J. C. CYFVEER.

MDCCCXXXII.

TYPIS *J. G. LA LAU.*

P A T R I

OPTIMO, CARISSIMO

J. J. L. S M U T S,

OMNI, QUA FILIUM DECET, PIETATE

AC REVERENTIA SEMPER

COLENDO,

Dissertationem hanc Zoologicam,
in perpetuum obsequii pignus,
Offert et Consecrat
AUCTOR.

Natura, quidquid genuit, et animal, et quod e terra ortum est, in suo quodque genere perfectum esse voluit.

CICERO.

PROOËMIUM.

In regione natus atque educatus, quam Natura rebus productis, aeque numero frequentibus, ac genere diversis, valde insignem reddidit, jam mature in illas infinitas figuras, quae oculo quotidie offerebantur, animum meum convertebam. Hinc jam a teneris inde annis, votum ardentissimum in me existebat, aliquam quasi familiaritatem cum iis contrahendi. Quo accuratius tamen et meliore ordine eas deinceps cognoscere possem, ad Europam me conferre decrevi: ubi me mox, et in hac regione, tali comitate excipi sum expertus, quâ vix amantissima mater liberos suos impertiri suevit. Quinque jam, et quod excurrit, anni elabebantur inde, a quo patriam exoptatam reliqui. Sed, eheu! quam velociter omne illud, vitae meae profecto suavissimum tempus, praeteriit! Interim desiderium paternae sedis aliquando revisendae mihi incessit, ut illic cursum institutorum studiorum felicius continuem.

Antequam tamen eo revertar, occasio gradus Academici obtinendi mihi non videbatur omittenda. Quapropter, ut Legi hac de re promulgatae satisfiat, in sequentibus, Dissertationis Inauguralis instar, studiorum, quibus maxime delector, aliquod Specimen conscripsi. In Europâ tamen corpora, de quibus agitur, non nisi vitâ defuncta contemplari licet, atque ea inde conscribere: in patriam redux, eadem majore studio atque aequiore ratione investigare spero.

Quidquid igitur Benevolo Lectori deinceps hîc offeretur, malim, ut opellam rerum temporibus necessariam, quam quo aliquod scientiis incrementum adjungitur, censeat. Non enim nisi tenue, ac brevi spatio confecti laboris existimandum erit opus.

Quia autem hoc loco non nisi *Enumeratio Mammalium*, quae in Meridionali Africae Promontorio occurrunt, datur, sciant, me generum notas, pro cognitis habuisse; illis unice memoratis, qua-

rum notitia minus est vulgaris. Eodem modo, non nisi praecipua addidi synonyma; breviore interdum descriptione insertâ. Ubi ipsa animantia mihi speculari licebat, Naturam attendi: quae minus cognita, aut plane nova erant, fusius describuntur.

Ceterum, quidquid eximiis meis Praeceptoribus, tum in hac urbe, tum BEROLINI, quando illic morabar, debeam, jam non explicandum videtur. Gratia inde debita, uti et ardentissimum votum, ut instituta, quibus praesunt, quam maxime floreant, semper mihi aderit, ac non nisi cum ultimo spiritu pectus meum deseret.

Opes, quae mihi in sequentibus componendis praesto erant, indicare superest. Constabant partim in Bibliothecâ opulentissimâ Clarissimi REINWARDTII, Promotoris mei quovis honore prosequendi; et ad quam perlustrandam mihi perbenigne patuit aditus: partim in apparatu Musei BEROLINENSIS, quem singularis Celeberrimi LICHTENSTEINII benevolentia, uti propriam supellectilem usurpandum dedit. Potissimum tamen mihi inserviebat infinita collectio, qualis in Regio Museo hujus urbis continetur; cujusque adhibendae facultas, per ejus Illustrissimum Directorem TEMMINCKIUM concessa, mihi utilior, ac suavior fuit, quam ut humilibus verbis hîc praedicetur. Qua ratione tandem cuncta adhibita sint, mox ex ipso opere melius apparebit.

Restat, ut familiaritatem, quae mihi per hunc cursum Academicum cum Eruditissimo Doct. HERMANNO SCHLEGEL intercessit, cujus diligentissimae conservationi gazae, ultimo loco dictae, tradebantur, praecipuâ grati animi significatione commemorem.

Vivant sic omnes, qui me suâ benevolentiâ prosecuti sunt, diu felices, meique memoriam cum amicitiâ usurpent: quemadmodum et ego illorum semper sum recordaturus!

OPERIS CONSPECTUS.

QUADRUMANA.

SIMIAE.

CARNIVORA.

CHIROPTERA.

INSECTIVORA.

MACROSCELIDES.

CHRYSOCHLORIS.

CARNIVORA GENUINA.

GULO.

MUSTELA.

LUTRA.

CANIS.

VIVERRA.

HERPESTES.

RYZAENA.

PROTELES.

SUS.

PHACOCHERUS.

RHINOCEROS.

HYRAX.

SOLIPEDIA.

EQUUS.

RUMINANTIA.

CAMELOPARDALIS.

ANTILOPE.

ENUMERATIO

MAMMALIUM CAPENSIUM.

QUADRUMANA.

SIMIAE.

Genus **CERCOPITHECUS.**

Species C. PYGERYTHRAEUS.

DESMAR. *Mamm.* Suppl. p. 53, 818.
Simia Sabaea, THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Pétersb.* Tom. III. p. 301—2.
Simia Pygerythrus-Vervet. F. CUV. et GEOFFR. *Mamm.* edit. form. 4ae p. 63. T. 21. (bon.)

Posteriore demum aetate, haecce species, cujus LE VAILLANT, aliique jam mentionem fecerunt, accuratius innotuit: fortasse, quia regiones interiores inhabitat.

Omnis ejus habitus longe differt ab omnibus congeneribus; proxime tamen ei accedit C. GRISEOVIRIDIS. Facile vero ab eo distinguitur cauda breviore, flavo colore, minus explicitis genarum pilis, ac majore circulo crinium, qui faciem circumdat.

Color primarius totius corporis est ex albido fulvus, qui in inferioribus corporis partibus purior est: partes autem superiores canescunt, ita ut corpus accurate in duas quasi dividatur partes.

Pili illi sunt pulli coloris, annulis vero ex albo sordide fulvis praediti.

Artus extrema versus minus nigricant; dum e contrario cauda sit magis fusca, et in apicem fuscum excurrat.

Aures mediocres, vultus nudus, quem capilli longiores, circuli instar, cingunt. Hi plerumque candidi sunt; in lateribus longiores: occupant omnem maxillam, ita ut superiora versus crines aliquot nigris intermisceantur. Mentum antice est nudum; ubi maxillae inferiori proximum est, variis pilis obtegitur.

Mensurae. (1)

Ab apice rostri usque ad caudae basin	0,475.
Caudae	0,415.
Capitis	0,135.
Pedum anticorum	0,23.
» posticorum	0,38.

Degunt in plagis magis sylvestribus, nec prope urbem principem Promontorii occurrunt.

Genus **PAPIO.** GEOFFR.

CYNOCEPHALUS. ILLIG.

Species P. PORCARIUS.

GEOFFR. *in Ann. du Mus.* XIX. p. 102, 3.
Simia Porcaria, BODD. *Abhand. über die Affen mit dem Schweinskopfe. Im Naturf.* XXII. p. 7. T. 1, 2.
C. Porcarius, DESMAR. *Mamm.* p. 69, 40.
Singe noir, VAILL. *Voyag. en Afrique* III. p. 311.
Chacma, FR. CUV. et GEOFFR. *Mamm.* ed. form. max. Fasc. 7.
Baviaan (*Col.*)

Simiarum, quae in Promontorio *Bonae Spei* degunt, longe maxima; PAPIONI SPHINX, congeneri suo valde affinis, constanter tamen vellere obscuriore, tenuiore eodemque longiore; prima quodammodo fronte distincta.

(1) *Metrum* adoptavimus pro mensura.

In hac specie nempe, pili singuli pallide griseo nigroque colore annulati sunt; dum in illa semper in flavescentem colorem transeant.

Manus tam in adultis, quam in pullis nigrae sunt. Cauda robusta, mediocris, in apice penicillo nigro ornata. Pili in dorso longiores sunt; in occipite vero longissimi, in junioribus speciminibus comam efformantes.

Protuberantia utrimque ad làtera nasi magna; colore tamen haud distincta. Dentes adprime excellunt robore; praesertim sunt dentes canini longitudine sua conspicui, adeo ut cum cranii forma elongata affinitatem indicent, quae ei cum animalibus carnivoris intercedit. Non raro invenitur molarium evolutio abnormis; dum propter exiguitatem alveolarum praerumpunt et in exteriori maxillae parte conspiciuntur: (1) quod idem in carnivoris observatur.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae basin	0,89.
Caudae	0,43.
Capitis . . . , . . .	0,31.
Pedum anticorum	0,40.
» posticorum	0,45.

Sunt simiae ferocissimae, veloces ac validae; gregatim e latebris suis prodeunt, agros cultos saepius vastantes: disponunt tamen suos custodes, qui imminente periculo vocem quamdam edunt: qua audita, omnis turba maximâ cum celeritate se in fugam conjicit.

Incolunt montes Coloniae, atque adeo prope ipsam reperiuntur metropolin, in monte, cui a *Tabula* nomen est (*Tafelberg*).

CARNIVORA.

CHIROPTERA.

Genus PTEROPUS. BRISS.

Species P. HOTTENTOTTUS. TEMM. *Nova Species.* (2)

Primum hoc animal idem visum est, ac P. AMPLEXI-CAUDATUS GEOFFR.,

(1) Conf. RUDOLPHI, *Physiol.* Tom. II. Sect. 2. p. 46: D'ALTON, *Abbild. der Skel.* 7de Lief.

(2) Descriptionem et hujus speciei, et reliquorum CHIROPTERORUM, Vir. Illustriss. TEMMINCK benevolentissime mecum communicavit.

1 *

qui in insulis *Timor*, *Amboina*, ac *Sumatra* occurrit; e descriptione tamen aliquanto fusiore atque accuratiore contrarium mox elucebit.

Jam magnitudine utrumque animal insigniter differt: etenim PT. HOTTENTOTTUS quinquies major est, oculi magis superiora versus collocati, longius a naso, quam ab auribus distant: membrana ejusdem conformationis, atque illa AMPLEXI-CAUDATI; in parte tamen introrsum versa frequentibus obsita est pilis.

Basis membranae interfemoralis ad latus internum pilosa. Ad basin caudae perbrevis cernitur incisura, figuram inversae V prae se ferens. Juxta hanc cauda, quae plane est libera, exoritur. Cauda cum corpore comparata, habet tantummodo longitudinem dimidiam intervalli, quod est inde ab anteriore oculi margine, usque ad nasi apicem. Illa autem AMPLEXI-CAUDATI est longior; quippe quae totâ ejus intervalli longitudine gaudeat. Dentes incisores sunt perparvi, uniformiter seriati, sibique approximati; dentes autem molares aequali intervallo a se invicem distant. Aures breves et rotundatae. — Rostrum longum ac compressum.

Corpus haud crassum, vestitur pilis brevibus, mollibus ac laevibus, qui per superiorem ejus partem duplicem offerunt colorem; ad basin nitide griseum, ad apicem vero fuscum; qui etiam in speciminibus masculis praevalet: in inferioribus partibus uterque sexus coloris est subgrisei.

Denique haec species praeterea notas gravioris momenti nonnullas offert; quales sunt forma membranae interfemoralis ad Coxygem; cauda libera ac brevis, et quidquid praeterea a nobis jam indicatum est: quae omnia sane sufficiunt, ut primo adspectu PT. HOTTENTOTTUS TEMM. ab AMPLEXI-CAUDATO distinguatur.

Mensurae.

Universa longitudo in speciminibus adultis	0,13.
Extensio alarum (1)	0,53.
Longitudo antibrachii	0,09.
Caudae	0,02.
Excisura membranae interfemoralis	0,25.

(1) Occurrunt specimina quaedam, in quibus alarum extensio quoque major est.

Habitat haec species circa Urbem *Capensem;* reperitur quoque in plagis longius remotis. Complura ejus specimina, quae tum pellibus, tum sceletis constant, conservantur in splendidissima collectione, quam Museum *Lugduno-Batavum* continet.

Species PT. LEACHII.

SMITH *in Zool. Journ.* N°. XVI. (1)

Supra fusco-cinereus, infra sordide cinereus, cauda libera. Dentes primores breves, validi, regulares, apice rotundati; caput elongatum; auriculae mediocres, apice rotundatae.

Longitudo a fronte ad caudae basin IV pollicum: caudae tres quartas pollicis partes, alarum extentio XIII pollicum.

In hortis Promontorii *Bonae Spei* vineta saepius devastans. (SMITH, l. c.)

Genus RHINOLOPHUS. GEOFFR.

Prosthematis membranâ superiore transversâ porrectâ.

Species RH. CLIVOSUS.

CRETZSCHM. *In Rupp. Zool. Atl.* p. 47. T. XVIII.
Rh. Capensis, LICHT. *Verzeichn. der Doubl.* p. 4.
Rh. Geoffroyi, SMITH *in Zool. Journ.* N°. XVI.

Quod pertinet ad magnitudinem, differt hoc animal minime a VESPERTILIONE AURITO LINN. Aures sunt magnae, acuminatae, ad marginem vero excisae; inferius autem cernitur membrana pilis tecta; quae ad meatum auditorium claudendum inservit.

Organa olfactoria externa in hoc animali valde compositae sunt naturae.

Membrana ferrum equinum aemulans, in media parte continet excavationem; in qua narium cartilago infundibuliformis reperitur. Post eam apparet orbiculus transversus, densus, erectus

(1) De PTEROPO LEACHII tenendum videtur, eum fortasse a praecedente non distinctum esse specie; descriptio tamen nimis succincta est, quam ut certi quid effari liceat.

cartilagineae naturae; qui in media parte est excavatus, atque paululum supra infundibulum est inflexus: hinc sese extendit membrana recta, tenuis et retrorsum vergens; dum procurrat ad postremam, in obliquo stantem, lanceolatam membranam; qua universum conjungitur; ad basin plane pilis caret; haec organa nonnullis setis sunt circumdata.

Pili in genere sunt longi, lanati ac molles; in superiore corporis parte exhibent colorem e leviter cano-brunneum; per dorsum tamen hic est fuscior; in partibus inferioribus apparet color albescens, in rubicundum transiens.

Membranae sunt pellucidae, ac quemadmodum aures, coloris e nigro-brunnei.

Mensurae.

Ab apice nasi usque ad caudae basin	0,07.
Capitis	0,023.
Caudae	0,026.
Expansio alarum	0,26.

Haec species occurrit tam in Africa Septentrionali, et media, quam in Australi. — Universe autem observatur, pilos in iis Africae Meridionalis esse coloris aliquanto fuscioris.

Regium Museum modo commemoratum etiam hujus animalis complura habet specimina.

Genus **NYCTERIS.** GEOFFR.

Species **N. THEBAICA.**

N. *Geoffroyi.* DESMAR. *Mamm.* p. 127, 190.
GEOFFR. *in Ann. de l'Hist. d'Egypte, Hist. Nat.* II. T. I. N°. 2. et
De l'organisation et de la détermination des Nyctères in Ann. du Mus. XX. p. 20, 2. T. I.
N. *Affinis*, SMITH *in Zool. Journ.* N°. XVI.

Quatenus descriptionem NYCTERIDIS THEBAICAE l. l. cum illa N. AFFINIS potuimus conferre, videntur ambo animalia revera haud a se invicem differre. Quandoquidem autem jam GEOFFR. aliique speciem, priore loco dictam, plane fuseque descripserunt; nobis solummodo pauca addere libet.

A reliquis hujus generis speciebus, quae jam innotuerunt, adprime differt auribus majoribus ac longioribus pro corporis mensura. Quo etiam referri potest evolutio operculorum spiralium in circuitu narium, ut et labium inferius fissum (1); quod ad figuram V exciditur.

Pili in universum sunt molles ac breves, superne in corpore brunnei coloris; in prona vero corporis parte exhibent colorem nitide griseo-brunneum.

Sequens species videtur nobis denuo propriam constituere: attamen neque hanc, neque affines, nobis inquirere licuit.

Species N. CAPENSIS.

SMITH *in Zool. Journ.* N°. XVI.

Cervice dorsoque nigro-fuscis; colli lateribus sordide albis; partibus inferioribus subcinereis; membranis rubro-fuscis; apice tragi semicirculari cum crista villi albescentis.

Longitudo a naso ad caudae basin plus quam II pollices; extensio alarum X pollicum; altitudo aurium septem octavas pollicis partes.

In interioribus Africae Meridionalis partibus degit, item in Insula *Paschali* (SMITH).

Genus VESPERTILIO. LINN.

Species V. CAPENSIS. (2)

SMITH *in Zool. Journ.* N°. XVI.

De nova hac specie non nisi pauca verba, quae nobis vix accuratam ejus cognitionem praebebunt, mihi commemorare licet.

Supra flavo-fuscus, subtus flavo-albus; membranis nigro-fuscis, interfemorali longe ultra pedes extensa, et postice acuminata, ubi caudae est terminatio; auriculis identatis externe et apicibus subacutis, trago lineari subfalciformi.

---

(1) Haec nota in iis speciebus, quas SMITH l. l. nobis descripsit, deësse videtur.

(2) Hanc speciem SMITH a Vespertilione TEMMINCKII non distinctam credit; perperam: quemadmodum etiam censet ipse Illustriss. TEMMINCK; cujus hac de re cognoscere mihi licuit sententiam.

Longitudo corporis unius et trium quartarum partium pollicis; caudae trium quartarum pollicis partium, volatus amplitudo IX pollicum; caput breve; capitis latera rostrumque nuda, nigra; labia ad oris angulos pilis brevibus fuscescentibus vestita. (SMITH).

INSECTIVORA.

Genus ERINACEUS. LINN.

Species E. CAPENSIS.

SMITH *in Philosoph. Magazine. January* 1831. p. 61.

Illic nulla hujus speciei praeterea tamen additur descriptio.

Maxime cum E. EUROPAEO convenire videtur; aliquatenus tamen distincta. (SMITH).

Genus SOREX. LINN.

Species CAPENSIS.

GEOFFR. *in Ann. du Mus.* XVII. p. 184. 9. T. IV. Fig. 2.
S. *Indicus* et *Capensis.* Idem *in Dict. Class.* XI. p. 325.
DESMAR. *Mamm.* p. 152.

Hoc animal nobis non plane est ignotum: primus autem BURMANN ejus mentionem fecit, in descriptione sua animalium *Capensium:* censet GEOFFR. scto HILAIREUS speciem, quam diximus, minime cum SORICE INDICO esse confundendam. Observatur tamen, utramque speciem magnitudine dentium, colore, tereti crassaque caudae forma, amplitudine ac nuditate aurium inter se convenire: uti quoque musci odor, quem ambo spargunt, pariter acer est. (1)

Rostrum longius est ac mobilius, quam in quadam alia specie. Cauda habet longitudinem dimidiae corporis partis, ac secundum eam normam longior est, quam in INDICO: color ejus est ruber;

(1) CUVIER in Opera, quod inscribitur *Règne Anim. Tom. I.* p. 128. ed. ult., credit, quoque SORICEM MYOSURUM, CAPENSEM, FLAVESCENTEM et INDICUM GEOFFR. varietates ejusdem speciei esse habendas. Quandoquidem autem mihi nulla occasio fuit ipsorum sceleta conferendi, necesse est, ut sententiam hac de re proferre, nunc differamus.

dum pilis, qui quasi detonsi videntur, obtegatur: ita tamen, ut subinde molliores illis intermixti cernantur. — Totum corpus est cinereum; at in dorso color rutilo-fulvaster apparet; in lateribus oris subruber.

Degunt in antris subterraneis, ac videntur omnem Coloniam inhabitare. Rustici in iis delendis multum operae ponunt, tum propter damnum, quod agris frumentariis adferunt; tum ingrati acrisque odoris causâ, quem late dispergunt. Oeconomia hujus animalis adhuc nos latet.

Genus **MACROSCELIDES.** SMITH.

Dentes Primores $^2/_2$, discreti seu dimoti: *superiores* verticales compressi, et acuminati; *inferiores* procumbentes aciebus incisoriis. ***Laniari*** $^{4-4}/_{4-4}$, suprà primoribus breviores, discreti, lateribus compressi et coronis plus minusve bicuspidatis; infrà approximati et partim ita imbricati, ut posteriorum margo anterior antecedentium lateribus paullum obducatur; anterior tricuspidatus; secundus, tertius et quartus bicuspidati. ***Molares*** $^{5-5}/_{5-5}$, suprà anterior quinquies cuspidatus; tertius et quartus quadricuspidati, quintus subtriangularis et tricuspidatus; infrà duo anteriores lateribus compressi, tricuspidati; tertius, quartus et quintus quadricuspidati.

Rostrum angustum et antice in proboscidem longam et subcylindraceam desinens, nares in apice habet. ***Oculi*** mediocres. ***Auriculae*** magnae ac rotundatae. ***Corpus*** villosum. ***Pedes*** distincti, plantigradi, pentadactyli; ***Scelides*** antipedibus multo longiores. ***Cauda*** elongata, squamata, annulata, raropilosa. (SMITH).

Species **M. TYPUS.**

SMITH *in Zool. Journ.* N°. XVI.

Supra fuscus nitore fulvo, infra subalbus.

Longitudo a naribus ad caudae originem IV pollicum; caudae III pollicum.

Inhabitat campos Africae Austrinae interioris, prope sepes et fruteta versans, atque in subterraneis sese occulens antris.

Species M. RUPESTRIS.

SMITH *in Philos. Magazine.* N°. 40. Fig. LXI.

Quandoquidem ejus nusquam adhuc prolata est descriptio, hanc speciem solum verbo commemorasse liceat.

Genus CHRYSOCHLORIS. G. CUV.

Species CH. CAPENSIS.

DESMAR. *Mamm.* p. 156, 146.
Talpa Asiatica, LINN. 12. Tom. I. p. 73. 2.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III.
Taupe Dorée, BUFF. *Hist. Nat.* XV. p. 370, 145.
Blinde Mol (*Col.*)

Primus, qui hoc animalculum descripsit, fuit SEBA, minus tamen recte Asiam ejus patriam opinatus. (1)

Longitudo corporis cylindri formam aemulantis, est circiter quinque aut sex pollicum; cauda plane deëst.

Pili sunt molles; uti locum fere habet in TALPA EUROPAEA; pro maxima parte videntur colorem splendide subfuscum exhibere: unde in vivis speciminibus ad partes magis superiores corporis, radiis lucis eo accedentibus, eximius color cupreus resplendet. Si vero specimina sint effarcta, proprietas haec aliquatenus perit; in liquore tamen diutius remanet. Ceterum ille color dilutior est versus inferiores corporis partes.

Observatur eo loco, ubi sunt oculi, macula albo-flavescens, quae ad rostrum usque sese extendit. Externe autem neque oculi, neque aures offenduntur.

Pedes antici tribus unguibus gaudent: quorum exteriores singulariter magnitudine ac robore excellunt; unde in fodiendo multum juvant.

---

(1) Conf. *Thesaur. Nat.* Tom. I. pag. 51. Tab. XXXII. Fig. 4. (♂) et 5. (♀).

Videntur haecce animalia per totam Coloniam dispersa; agrorum tamen cultorum amantiora. Olitores illis insidiantur, quum haud parum plantis teneris damni adferant; quippe superficiem terrae imprimis effodere solent.

Species CH. RUFA.

DESMAR. *Mamm.* p. 156, 247.
Talpa Rubra Americana, SEBA, *Thes.* I. p. 51. Tom. XXXII. F. 2.
Ch. Hottentottus, SMITH, *in Zool. Journ.* N°. XVI.
Red-mole, PENN. *Syn.* p. 315, 246.

Auctores idem animal indicare videntur; immerito vero SEBA illud in Americâ degere dixit. Mihi dabatur occasio quaedam specimina examinandi; offerebat tamen sese nullum aliud discrimen, nisi in colore magis ferrugineo et opaco; quo haec species a praecedente dignosci possit. Quare ei hoc loco honorem propriae speciei attribuere admodum ambigo.

CARNIVORA GENUINA.

Genus GULO. STORR.

Species G. CAPENSIS.

DESMAR. *Mamm.* p. 176, 270.
Melis Mellivora, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III. p. 107.
Ratel, SPARM. *in Kongl. Wetensk. Acad. Handl.* 1777. p. 49. Tom. IV. Fig. 3.
Ratelus Mellivorus, BENNET *in Zool. Gard. and. Menag. Mamm. Z.* p. 13. cum Fig. (bona.)
Ratel (*Col.*)

Corpus suprà est canum, propter pilos albos ac subnigros mixtos; ita quidem, ut linea candida, quae a medio capite usque ad mediam caudam procurrit, cujusque latitudo in lateribus

decrescit, illud totum complectatur. Reliqua corporis pars pilis lucido-atris tegitur. Stria autem illa candida in pullis obsoletior est; uti e nonnullis exemplaribus mihi quam manifestissime innotuit.

Cauda vix efficit quartam partem longitudinis, quae corpori inest. Rostrum est obtusum; aures externe non observantur; cernitur tantum margo pertenuis eâ in parte, ubi meatus auditorius est collocatus.

Pedes quinque digitis instructi; in quorum anterioribus sunt ungues longi, crassi, acuti, et ad fodiendum aptissimi.

Degunt in variis Coloniae plagis, praeprimis in interioribus; dum e contrario prope urbem *Capensem* nusquam occurrant.

Genus MUSTELA. LINN.

Rostro abbreviato; dentibus molaribus spuriis $^{2-2}/_{3-3}$, *unguibus maniculorum crassis, obtusis, fossoriis.*

Species M. ZORILLA.

DESMAR. *Mamm.* p. 181, 279.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III. p. 106.
Viverra Zorilla, SCHREB. *Saügth*, p. 455. 18 T. 123.
Gestreepte Muishond (*Col.*)

Color in hoc animali est ater; lineis quatuor albis inde ab occipite usque ad caudae basin procurrentibus; quae in dorso usque ad mediam ejus partem sibi invicem proxime accedunt: tum autem ita vergunt, ut ad caudae basin rursus concurrant.

In sincipite et ad oculorum latera apparet macula alba. Cauda, cui parum capillorum alborum intermiscetur, ad basin densissime pilis convestitur.

Auriculae parvae et rotundae, albis pilis teguntur.

Pedes breves; ungues antipedum longi, curvi, adunci, atque acuminati; pedum autem posticorum magis plani et obtusi sunt.

Glandulae anales foetidissimum secernunt humorem; quem animal hoc, ubi agitatur atque irritatur, imprimis edere solet.

Inhabitat maximam Coloniae partem, praecipue regiones sa-

xosas. — Noctu exit praedatum: avibus, ovis atque amphibiis potissimum vescitur.

Genus **LUTRA. RAJ.**

AONYX.

Podiis vix palmatis, digitis muticis; digito secundo cum tertio per articulationem primam connato, utroque reliquis longiore. (LESSON.)

Species **L. INUNGUIS.**

F. CUV. *in Dict. des Sc. Nat.* XXVII. p. 248.
A. de Lalandi, LESSON, *Mamm.* p. 157, 484.
ISID. GEOFFR. *in Dict. Class.* IX. p. 519.
Otter (*Col.*)

Corpus tegitur pilis mollibus ac leviter adnatis, coloris praecipue badii, qui in prisma ad caudam et in partibus pedum exterioribus saturatior evadit; in corporis lateribus contra dilutior; superior denique capitis pars leviter griseo-fusco irrorata est.

Circuitus nasi, latera capitis ad oculos usque, gula, omneque pectus usque ad scapulas exhibent colorem album.

Aures parvae pilis subfuscis vestitae, cinguntur margine albo. Mystaces sunt firmi atque albi coloris.

Pedes antici unguibus carent; in secundo tertioque digito pedum posticorum, observatur tamen eorum rudimentum; scilicet parvus discus, rotundus, ac corneus, in cujus centro tubercula crassa et orbicularia apparent. (1)

Mensurae.

Ab apice nasi usque ad caudae basin	0,88.
Caudae	0,48.
Capitis	0,17.
Pedum anticorum	0,20.
» posticorum	0,22.

Degunt in paludibus Africae Meridionalis.

(1) In specimine tenerae aetatis, quod in locupletissima LEIDENSIS Musei collectione servatur, observavi tamen, omnes pedum posticorum digitos unguibus manifeste perspicuis, coloris pallide albi, esse instructos. In pedibus anticis vero, eorum ne minimum quidem vestigium invenire licet.

Colore differt dictum specimen tantummodo in eo, quod color castaneus in eo griseus, ac macula alba labii superioris magis conspicua sit.

Genus **CANIS.** LINN.

Species C. PICTUS.

DESMAR. *in Mamm. Suppl.* p. 538, 831.
C. Aureus, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III. p. 302.
Hyaena Picta, TEMMINCK *in Ann. Gener. des Sc. Phys.* Tom. III. p. 54. T. 35.
CRETZSCHM. *in* RÜPP. *Zool. Atl.* Tom. XII. p. 35.
H. Venatica, BURCH *Trav.* Tom. I. p. 456. cum Fig.
Wilde Hond (*Col.*)

Primus, qui nobis accuratam descriptionem, nec non iconem hujus animalis donavit, Celeberr. TEMMINCK fuit.

Dentes conveniunt proxime cum iis Canum; exiguâ differentiâ, quod attinet ad spurios molares, unice exceptâ. Numerus digitorum separat tamen hoc animal a canibus; quippe pedibus omnibus digiti tantum quatuor sunt: sceleton autem nullam exhibet differentiam.

Magnitudine Hyaenam non aequat; color vero in hoc animali est maxime singularis, ac verbis difficillimus explicitu, quippe qui in variis hujus speciei corporibus sit diversus.

Color primarius, qui per corpus maculis atris, candidisque irregulariter distribuitur, est leviter ochraceus; candidum tamen plerumque atro includitur. — Caput suprà, nucha ac regio temporalis pallide ochracea sunt; stria autem intermedia, a fronte ad nucham porrecta est nigra.

Rostrum ad oculos usque nigrum cernitur, ut et stria per medium caput: ceterum illic color luteus, uti et in cervice praevalet: maxilla inferior et gula ad pectus sunt colore sordide albo.

Aures magnae lataeque sunt; cauda longitudine plus quam tertiam totius corporis partem aequans, ad radicem est flava, in medio nigra, ad apicem alba. Non procul a caudae radice pilis est mediocris longitudo; quae ad apicem aliquantum crescit: denique sunt hi pili per omne corpus lubrici.

Mensurae.

Longitudo ab apice nasi usque ad	caudae basin	0,89.
	Caudae, pilis inclusis	0,36.
	Capitis	0,26.
	Auricularum	0,13.
Pedum	anticorum	0,54.
»	posticorum	0,58.

Reperiuntur haec animalia vulgo in parte Orientali Coloniae, uti in dioëcesibus, quae vocantur, *Uitenhagen, Graafrhynet,* cet. Solent autem gregatim exire praedatum, atque haud raro magnam ovium stragem faciunt. Postremis hisce annis eorum numerus valde videtur accrevisse: quod facile etiam ex eo intelligitur, quia non raro decem vel duodecim pullos, uno partu, edunt.

Species C. MEGALOTIS.

DESMAR. *Mamm. Suppl.* p. 538, 830.
CUV. *Règne Animal.* Ed. 2da. Tom. I. p. 153.
C. Lalandi, DESMAR. *in Dict. Class.* IV. p. 18. c. Fig.
MEGALOTIS *Lalandii.* HAMILT. SMITH. *in* GRIFF. *The Animal. Kingd.* Tom. II. p. 372, cum Fig.

Hucusque, quod mihi constat, occurrit hujus animalis per totam Europam unum modo exemplar; scilicet in Museo PARISIENSI. Quandoquidem autem mihi non contingit descriptionem quamdam, ex ipso animali factam proponere, liceat eam ex aliis scriptoribus huc assumere.

Magnitudine aequat CANEM VULPEM; aures tamen sunt multo longiores atque ampliores.

Pellis est ferrea, luteo leviter variegata. Juxta dorsi spinam pili aliquanto sunt longiores, colorisque magis fusci.

Aures interne sunt griseae; limbus tamen est niger, pilis variis albis admixtis.

Cauda densissimis pilis est obsita, qui nigrum colorem exhibent; in parte superiori tamen aliquantum pilorum griseorum illis intermiscetur.

Caput griseum; sinciput usque ad nasi apicem nigricans; venter pallide albus, ungues quoque nigricare videntur.

Primus, per quem nobis hoc animal innotuit, fuit DE LALANDE; ita tamen, ut multa adhuc de illo lateant.

Plaga, in qua degit, minus accurate indicari potest.

Species C. MESOMELAS.

SCHREB. *Saügth*, p. 370. 13. Tab. 95.
LINN. *Syst. Natur.* Ed. GMEL. I. p. 73.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III. p. 302.
CUV. *Règne Animal.* Ed. 2da. Tom. I. p. 153.

Per totam Coloniam offenditur hocce animal, atque *Jackhals* audire solet.

Caput et cervix sunt grisei coloris, ita tamen, ut subinde pili leviter fusci, albi ac nigri ei immisceantur.

Totum dorsum ad caudam usque pusillis maculis, quae candido ac nigro colori superstant, distinguitur.

Radix caudae est fusca; reliqua vero pars nigra.

Gulae, thoraci ac ventri color est sordide albus; in reliquis partibus color fuscescit; ad pedes posteriores paulo obscurior evadens.

Degunt separatim; tempore tamen vespertino, in parvos videntur congregari greges, quo tutior ipsis reddatur venatus. Quia autem in antris subterraneis luce solent commorari, raro interdiu apparent. — Postquam tenebrae exortae sunt, nonnunquam ex ululatu, qualis ille est canum, eos agnoscere licet.

Genus **VIVERRA.** LINN.

Folliculo anali nullo, sed levi impressione inter glandulas anales. (Genettae) CUV.

Species V. TIGRINA.

SCHREB. *Saügth.* p. 425. 5. Fig. 115.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* T. III. p. 306.
Chat-Bizaam, VOSMAER *Dissert. d'une Espèce Singulière de état Africain.* Amst. 1771.
Tigrine Weezel, SHAW *Gén. Zool.* 12. p. 406.
Moschus-Kat (*Col.*)

Fundus velleris est colore luteo-griseo, qui ad gulam ac ventrem dilutior fit. In lateribus nasi, ac sub oculis observatur macula alba. Ceterum est circulus oris niger, atque obtegitur vibrissis nigris albisque; quae inter se commiscentur.

Mediocres auriculae in parte postica, uti et margo interior superne, raris pilis obsita sunt.

Procurrit in dorso linea nigra, quae, in mediâ ejus parte exorta, sese extendit ad caudae basin; hoc loco pili sunt longissimi: porro apparent in utroque corporis latere quatuor series macularum nigrarum, quae, intervallo subaequali a se invicem distantes, variâ gaudent magnitudine; ita tamen, ut quae media est, magnitudine ceteras superet. Quamvis ad cervicem hae maculae minus distinctae sunt, observantur tamen in utroque latere duae lineae, quae ab occipite usque ad pedes anticos extenduntur.

Pedes sunt in parte anteriore coloris luteo-grisei; ceterum vero nigri.

Cauda cingitur annulis alternis nigris, atque luteo-canis: apex niger est: annuli, qui sunt coloris luteo-grisei, offerunt inferius colorem nigrum.

Mensurae.

Longitudo a naso usque ad basin caudae	0,53.
Caudae	0,44.
Capitis	0,11.
Pedum anticorum	0,13.
» posticorum	0,19.

Species V. FELINA.

Thunb. *in K. Sv. Vet. Ac. Nya Handl.* XXXII. p. 166. T. 7.
Idem in Mém. de l'Acad. de Petersb. III. p. 306.

Quemadmodum in specie praecedente observabatur, ita quoque in hoc animali adest linea nigra, quae per dorsum usque ad basin procurrit; ubi fundus velleris offert colorem e cano album; in utroque corporis latere apparent parvae, nigrae maculae; quae magis confluunt, lineam flexosam quasi efficientes: cujusmodi quinque lineae in latere utroque extant.

Caput ac gula est plane coloris e nigricante grisei; in margine inferiore oculorum cernitur macula albescens: ceterum totus ambitus oris, uti et in mystacibus, habet nigrum colorem.

Auriculae ac pedes aequant ea priorum specierum.

Cauda est multo longior, quam in iis, quae antecedebant: in nonnullis adeo speciminibus est illa ejusdem longitudinis, ac corpus. Ornatur autem cauda annulis nigris, nec non exalbidis ad apicem.

Mensurae.

Longitudo a nasi apice usque ad caudae basin	0,42.
Caudae	0,41.
Capitis . . . , . . .	0,095.
Pedum anticorum	0,10.
» posticorum	0,13.

Ambae hae species, quas diximus, incolunt Africam Meridionalem quidem totam; frequentiores tamen in plagis, quae minus inhabitari possunt: vivunt plerumque in speluncis et rimis rupium, ac pascuntur potissimum avibus, minoribusque mammalibus.

Genus **HERPESTES.** ILLIG.

MANGOUSTES. CUVIER.

Species H. GRISEUS.

DESMAR. *Mamm.* p. 212, 324.
Viverra Grisea, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Pétersb.* III. p. 305, 15.
V. Caffra, LINN. *Syst. Nat.* Ed. GMEL. I. p. 85, 8.

Hanc speciem HERPESTAE, ICHNEUMONI in Boreali degenti quam maxime simillimam, non vero (uti narrat GEOFFR.), in India Orientali habitantem, varii naturae scrutatores pro diversâ specie habuerunt, et eam talem ad ceterarum seriem retulerunt.

Pili singuli totius corporis fuliginoso alboque annulo sunt annulati; qui color in capitis lateribus, cervice ac dorso fit magis subobscurus; in ventre vero e griseo in exalbidum transit: sunt autem illi pili in mediâ dorsi parte, in lateribus et praecipue retrorsus longitudine satis insignes.

Circuitus maxillae superioris ad oculos usque, offert colorem e subfusco nigrum; quo partes quoque extremae artuum gaudent: nisi quod hîc nonnulla puncta alba manifeste observari possint.

Ungues longi sunt curvati, pulli coloris atque acuti: plantae pedum vero pilis carent.

Cauda in basi densis pilis tecta, qui apicem versus longitudine decrescunt; at, uti LINNAEUS vere indicavit, apex habet nigrum colorem. (1)

---

(1) Estne H. GRISEUS merito distincta species habendus, an tantum varietas ICHNEUMONIS Veterum?

PLIN. *Hist. Nat.* VIII, 24, 25.
ARIST. *Hist. Anim.* Ἰχνευμῶν. II. 35. p. 422.

Longitudo caudae cum eâ corporis comparata offert, ratione HERPESTAE ex Africa Meridionali, fere nullam differentiam; quippe

A nasi apice usque ad caudae radicem mensura est . . . . 0,51.
Caudae ipsius . . . . 0,45.

Praecipue observandum videtur, apicem caudae, uti et in antecedente specie, nigrum esse; quam notam apud posteriores scriptores frustra quaesivi.

Color in pilis valde convenit cum specie primo loco dicta; nec in junioribus speciminibus ullâ ratione differt: apud adultiores maxima ex parte est multo liquidior. — Alba forma exhibet hîc magis colorem impure luteum; os ac pedes, uti ejus, qui postremo loco memorabatur, sunt colore pullo: — hunc colorem habent vero minus manifestum.

Nonne tamen parva haec aberratio jure habenda est e coelo calidiore oborta?

Mensurae.

Ab apice nasi usque ad caudae basin	0,51.
Capitis	0,13.
Caudae	0,43.

Degit hoc animal in plerisque Coloniae partibus, plerumque in antris subterraneis occultum: vescitur imprimis muribus, ac minoribus avibus, amphibiisque: saepe occurrit etiam mansuefactum, uti animal domesticum; praesertim propter officia, quae in delendis supra dictis animalibus praestat.

Species H. PENICILLATUS. (1)

Pedes antici quinque dactylis; postici quatuor dactylis instructi, digitigradi. Plantae pilosae.

CUVIER, *Règne Animal.* Ed. 2da. Tom. I. p. 158.

Mihi hancce speciem inquirenti statim se obtulit aberratio memorabilis, quoad notas genericas. Reperi enim pedes posticos quatuor instructos esse digitis; nullo praeterea quinti digiti vestigio obvio. — Plantae autem pedum erant pilosae; cranio ceteroquin, ac dentibus ne minime quidem a structurâ normali discrepantibus. (2)

Magis accurata descriptio dimensioque hujus animalis, fortasse hoc loco non inutilis erit.

Color in hoc animali maxima ex parte est rutilo-fulvescens, in rufum migrans; id, quod ad superiores quoque corporis partes pertinet: pedibus posticis paullulo magis fuscescentibus.

Ceterum pili in variis locis, annulis candidis ac fuscis decorantur; qui in lateribus corporis, sed praecipue in cervice et genarum tegumentis optime distingui queunt.

---

(1) Hanc speciem descripsit SMITH sub nomine MANGUSTAE LEVALLANTII.
Conf. *Zool. Journ.* N°. XVI. et *Bull. des Sc. Nat.* XVIII. p. 275.

(2) Haecce aberratio alios effugit. Contigit mihi, ut tria specimina in Museo LEIDENSI observarem; in quibus singulis eadem pedum confirmatio erat.
Num illam aberrationem pro typo novi generis habere liceat, fortasse quaeretur. Mihi videtur merito in genere suo militare posse.

Gula atque maxilla inferior sunt sordide alba; at ambitus postremus aurium nigricat.

Caudae pars media pilis densissimis vestitur; apex est candidus: reliqui vero pili flavi sunt; interdum tamen pilis nigellis intermixtis.

Longiores pedum ungues sunt acuti.

Mensurae.

Ab apice nasi usque ad caudae basin	0,42.
Caudae	0,23.
Capitis	0,08.
Auricularum	0,015.
Pedum anticorum	0,12.
» posticorum	0,15.

Incolit plagas planiores atque aridas Coloniae.

Species H. PALUDINOSUS.

CUVIER, *Règne Animal.* Ed. ult. Tom. I. p. 158.
Mang. Urinatrix, SMITH *in Zool. Journ.* N°. XVI. p. 437.
Bullet. des Sc. Nat. XVIII. p. 271.

Quemadmodum praecedens, ita et hoc animal in temporibus recentioribus innotuit. Pilorum color est subfuscus, in nigrum transiens, annulisque subrubris aut subalbidis variegatus; attamen illud in senioribus speciminibus, praeterquam in lateribus capitis, minus distinguitur.

Margo maxillae utriusque est sordide fulvus.

Cauda ad radicem densissime pilis est obtecta. Digiti pedum insigni gaudent longitudine, pilisque brevibus, ac prorsus aequalibus obteguntur. Ungues breves atque obtusi sunt.

Mensurae.

Ab apice nasi usque ad caudae radicem	0,54.
Caudae	0,30.
Capitis	0,10.
Pedum anticorum	0,14.
» posticorum	0,16.

Corpus paululo coactius est, quam in praecedente specie; prouti etiam oeconomia in utrâque differt.

Habitat enim hoc animal in plagis paludosis atque in ripis minorum fluminum Africae Australis extremae; imprimis ranis, crustaceis, cet. victitans, et uti ferunt, urinans dexterrime.

Genus **RYZAENA.** ILLIG.

SURICATA. DESMAR.

Species **R. CAPENSIS.**

Suricata Capensis, DESMAR. *Mamm.* p. 214—330.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III. p. 305.
BUFF. *Hist. Nat.* XIII. p. 72, 48.
Surikatje (*Col.*)

BUFFON, per quem primo hoc animal innotescebat, eam perperam indigenam Americae autumavit.

Rostrum acutum, nasusque productus, proboscideus. Pili habent colorem ex obscure-fusco, flavicante, nigroque variegatum; qui ad ventrem in sordidum transit. Striae sat obsoletae, transversae, imprimis dorsum exornant. Ad pedes reperitur argenteus color: cauda ferruginea, apice nigra.

Dorsum est curvatum; unde fit, ut minus aequalem motum habeat bestia. Imponit omnem pedis plantam solo, et facile pedibus posticis erecta stare potest. Pedes molli pelle superinducti, armantur longis acutisque unguibus fossoriis.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae basin	0,29.
Capitis	0,08.
Caudae	0,155.

Ceterum habitat hoc animal in variis Coloniae plagis, praesertim in antris montosarum; facile mansuescit, atque ut animal domesticum colitur.

Genus **PROTELES.** GEOFFR.

Species P. LALANDII.

ISID. GEOFFR. *Descript. d'un nouveau Genre de Mammif. in Mém. du Mus.* XI. p. 370. Tab. 20.
Viverra Hyenoides, DESMAR. *Mamm. Suppl.* p. 538, 832.
Genette Hyenoide, CUVIER. *Ossem. Foss.* Tom. IV. p. 388.

Hujus animalis forma externa plane convenit cum illâ Hyaenae; nisi quod magnitudo vix dimidia sit illius HYAENAE MACULATAE.

At non solum numero formâque dentium et unguium hoc animal differt ab HYAENA; sed praeterea pluribus aliis quoque notis.

Pili in universum sunt multo longiores; fundus velleris exhibet canitiem sordide luteam, quam sex aut septem distinguunt striae nigrae; quarum quaeque inde a dorsali linea ad ventris latus procurrit: tres vero striae longitudinales offenduntur in parte anteriore humeri.

Tam pedes anteriores, quam posteriores obsoletius annulati sunt; juxta tarsos color nitide subfuliginosus evanescit.

Ambitus rostri niger est; uti et margo postremus aurium: quae longae, acuminatae, sibi invicem approximatae et arrectae sunt.

Jubae, longitudine insignes, a cervice usque ad caudam descendunt; quae brevis et pilosa, penicillo setarum fuliginosarum terminatur.

Hoc animal spargit odorem ingratissimum ac foetidum, qui in ipsis pellibus siccis remanet.

Mensurae.

A caudae radice usque ad nasum	0,74.
Caudae	0,17.
Pilorum in apice caudae	0,10.
Capitis	0,18.
Aurium	0,08.
Pedum anticorum	0,29.
» posticorum	0,21.
Altitudo corporis ad pedes anteriores	0,43.
posteriores	0,21.

Incolit plagas remotiores Coloniae: observatur potissimum noctu; quippe per diem in latibulis suis, antris subterraneis, sese abscondens.

Accensendum est hoc animal rarioribus, aeque ac praecedens.

Genus HYAENA. BRISS.

Species H. MACULATA.

THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III. 303.
TEMM. *in Ann. Gén. de Phys.* III. 53.
H. Crocuta, ZIMM. *Geogr. Gesch.* II. p. 256, 149.
H. Tachetée, CUVIER. *Ossem. Foss.* IV. p. 385. Tom. XXVIII. Fig. 1, 2.
Tyger-Wolf (*Col.*)

Haec Africae Meridionalis species indicat variis in partibus arctam cognationem cum HYAENA STRIATA; attamen ambae facile a se invicem dignosci possunt. CROCUTA enim in universum colore sordide-luteo, non raro in fuscum transeunti, gaudet.

Superiores corporis partes, praeter verticem ac cervicem, maculis fuliginosis sparguntur. Pedes postici sunt ad partes extremas nigri coloris; uti etiam cauda subfloccosa est.

Juba, quae inde a parte posticâ aurium, ultra medium dorsum sese extendit, haud brevior est illâ HYAENAE STRIATAE.

Est hoc animal per omnem Coloniam dispersum, atque haud raro altitudinem trium fere pedum attingit.

Species H. FUSCA.

GEOFFR. *Collect. du Mus.*
H. Brunnea, THUNB. *Acad de Stotch.* 1820. I part. pl. 2.
GEOFFR. *in Dict. Class.* VIII. p. 444, 2. cum Fig.
H. Villosa, SMITH *in Linn. Transact.* XV. 2. p. 461. Tab. 19.
Strand-Wolf (*Col.*)

Species, ad quam nunc accedimus, quaeque demum recentiori aetate innotuit, multum differt a praecedente.

Corpus pilis confertis tegitur, qui in lateribus atque in dorso, singularem longitudinem habent.

Pili vero ad caput breves, offerunt mixturam coloris nigri, albi atque ferruginei.

Caput latius et rostrum obtusius est, quam in praecedentibus: in margine orbitali exteriore duae offenduntur maculae nigrae, quae aliquatenus duas lineas verticillatas aemulantur.

Aures mediocres, acuminatae, plerumque adstrictae et intus atque externe pilis teneris rubicundis vestitae.

Quidquid inde a temporibus, ad humerorum marginem anteriorem usque occurrit, sordide luteum offert colorem.

Pectus, venter atque interior pedum pars, cum illis partibus colore conveniunt; nisi quod aliquantulum in subalbum transeant.

Mentum ac latera inferioris labii sunt subnigra; gula autem fuscior est.

Dorsum usque ad latera sunt e fusco grisea: minus tamen hoc apparet, quia quaedam adsunt lineae aut maculae minus regulares, quae transversae dorsum et partes laterales secant.

Basis caudae est coloris impure fusci; penicillus apicis niger.

Pedum partes externae sunt impure albae, atque obteguntur fasciis nigris.

Uti videtur, degit hoc animal plerumque in viciniâ littorum; quam ob rem etiam a Colonis, nomine *Lupi Littoralis* (Strandwolf) insigniri solet.

Genus FELIS. LINN.

Species F. LEO.

LINN. *Syst. Nat.* Ed. GMEL. Tom. I. p. 75.
CUV. *Recherches sur les Espèces vivantes de gronds chats in Ann. du Mus.* XIV. p. 141. I. Tab. 15. Fig. 1—4.
TEMM. *Monogr. p.* 84.
South-African Lion, GRIFF. *Anim. Kingd.* V. 417. 1. 6.

Hoc animal, quod a proxime affinibus adeo per colorem helvolum, per penicillum ad caudae apicem ac per jubas levigatas, quae caput, verticem et humeros maris tantum ornant, distingui-

tur, nimis notum est, quam ut in eo describendo longi simus: hoc tantummodo addere lubet, inter varietates eam, quae est Africae Meridionalis, imprimis capite rotundo, crasso, molossino, maxillâ inferiore magis prominente, auribus majoribus magisque acuminatis, et praesertim obscuriore jubarum colore, quae valde nigro obsaturantur, differre.

Degunt hodie tantum magis in dissitis atque incultis Coloniae plagis.

Species F. JUBATA.

TEMM. *Monogr. de Mamm.* p. 89.
LINN. *Syst. Nat.* Ed. GMEL. I. p. 79. 11.
CUV. *Ossem. Fosf.* IV. p. 130.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 304.
CUV. *in Ann. de Mus.* XIV. p. 150. 7.

Facile primo intuitu, per extensam corporis figuram atque agilitatem externam, hoc animal a proxime cognatis distinguere licet.

Pedes sunt longiores, unguibus acutis, tamen non retractilibus, neque ad dilacerandum aptis, instructi.

Fundus velleris pro maximâ parte coloris ochracei, qui in superiore corporis parte aliquanto fuscior evadit; in ventre et partibus pedum introrsum versis albidus color est.

Pili sunt breves, in cervice atque in parte dorsi aliquanto longiores, et erecti: unde interdum jubae habebantur.

A cantho interno oculorum usque ad labiorum commissuram, procurrit linea sigmoïdea nigra; dum ceteroquin corpus parvis, rotundis nigrisque maculis obsitum sit, quae in dorso et ad latera pedum maximae evadunt; raro tamen continent plus septem lineis, nisi in capitis vertice ac mandibulis.

Aures in parte mediâ extrinsecus exhibent colorem nigrum; intus idem est albus. Cauda mediocri longitudine, minime tamen eam corporis aequat: suprà fulva, subtus alba, basi nigro maculata; dein cernuntur circiter tres aut quatuor annuli nigri albique, invicem alternantes; apice autem albo.

Pars Occidentalis Africae, et imprimis *Indostan* ab hac *Fele* inhabitatur, ubi venatui inservit. Ex opinione THUNBERGII l. l. ac Clarissimi LICHTENSTEINII, exstat haec species etiam in parte Meridionali Africae: cujus tamen probabilitatem mihi haud licet arguere.

Species F. LEOPARDUS.

TEMM. *Monogr.* p. 92. Tab. 9. Fig. 1. 2.
LINN. *Syst. Nat.* Ed. GMEL. I. p. 77, 10.
CUV. *in Ann. du Mus.* XVI. p. 148. 5. Tab. 16. Fig. 5, 6. (cran.)
F. Pardus, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III. p. 303.

Illustrissimus TEMMINCK hanc speciem credit *Pardalen* Veterum, nobisque in Opere jam laudato, ejus quam accuratissimam exhibuit descriptionem; opinionem suam compluribus documentis probans.

Cauda modo longitudinem trunci habet, extremâ parte scapulam attingens.

Pili in corpore sunt crassi mediocris longitudinis. Fundus velleris exhibet colorem dilute flavum in dorso; qui tamen in lateribus dilutior, atque in ventre et infimâ caudae parte albus evadit. — Totum corpus permultis induitur maculis, quae se invicem satis attingunt.

Maculae, quae in lateribus, extremâ dorsi parte atque in caudâ variis locis sese exhibent, constant tribus aut quatuor ocellis annularibus parvis, nigris: dum macula lutea, aliquanto fuscior quam in reliquis pilis, per eos cingatur.

Ex hisce autem facile causa apparet, quare maculae hae compositae *rosarum* nomine (*taches in roses*) insigniantur.

Reliquam partem occupant maculae aliquot minores majoresve, quae simplices rotundam aut ovalem formam habent.

Aures sunt orbiculatae, nigrae in basi, sed luteae in apice; linea nigra procurrit, ubi mystaces incipiunt.

In caudae extremâ parte observantur duo aut tres annuli, alternantes, nigri albique.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae basin		1,21.
	Capitis	0,24.
	Caudae	0,93.
Pedum	anticorum	0,48.
»	posticorum	0,54.

Hoc animal totam inhabitat Africam, atque adeo in nostro Meridionali Promontorio haud raro invenitur; imprimis tamen in parte ejus Orientali exstat.

Species F. SERVAL.

TEMM. *Monog. de Mammal.* p. 103.
CUV. *in Ann. du Mus.* XIX. p. 156, 16.
F. Capensis, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III. p. 304.
FORSTER *in Ph. Transact.* LXXI, p. 1.
G. CUV. *in Menag. du Mus. d'*H. N. C. Fig. bon.
Tijger Bosch-Kat (*Col.*)

Hoc animal magnitudinem praecedentis speciei haudquaquam attingit: cauda multo brevior est; aures longae et acuminatae.

Corpus universe pilis longioribus occupatur; quod praecipue locum habet in femoribus et parte introrsum versâ extremitatum: pili in caudae basi sunt quoque longiores.

Color primarius est splendide fulvus, saturatior in extentione dorsi; in ventre, in parte pedum interius versâ, ac gulâ species alba exhibetur.

Quemadmodum in praecedente, corpus hîc occupant maculae nigrae, elongatae; quae tamen magis regulariter sunt dispositae.

Ceterum existunt eaedem maculae in capitis lateribus; in pectore atque inferioribus pedum partibus perparvae, punctorum nigrorum instar.

Maculae, quibus in cervice, scapulis ac dorso gaudet, multo sunt angustiores, et tam prope se invicem positae, ut fere lineae duae in utroque latere esse videantur; quae inde a vertice ad scapulas usque procurrunt.

In margine superiore antipedum, cernimus strias duas latas nigri-coloris, fasciae transversae instar. Aures in basi atque apice nigrae: margo superior in parte introrsum versâ occupatur pilis longioribus luteis.

Cauda sex aut septem nigri-coloris annulis alternantibus est instructa; in ultimâ scilicet ejus parte.

In junioribus speciebus pili multo longiores et maculae minus regulares sunt.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae basin	0,85.
Capitis	0,17.
Caudae	0,26.
Auricularum	0,08.
Pedum anticorum	0,29.
» posticorum	0,44.

Hocce animal degit in totâ Meridionali Africâ, atque imprimis magno numero in circuitu Portus, qui ab ELISABETHA, nomen habet (*Port Elisabeth*).

Species F. CARACAL.

TEMM. *Monogr. Mamm.* p. 118.
Λὺγξ ARISTOT. *Hist. Anim.* II, c. 7. n. 31.
CUV. *in Ann. du Mus.* XIV, p. 154. 11.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 305.
Roode-Kat (*Col.*)

Quod attinet ad formam externam hujus animalis, convenit eâ, uti et instructis penicillo auribus, maxime cum Lynce; qualis proinde quoque apud Veteres habebatur.

Pili in adultioribus sunt breves atque elongati; in junioribus magis lanati, et maculati. Maxima corporis pars exhibet colorem rufum vinaceum, aliquando quoque in brunneum transeuntem: in dorso autem obscurissime. Latera corporis sunt magis pure Isabellina, ad caput obsaturatiora; quippe hoc loco aliquot pili nigri ac lucide pulli inter se commiscentur. Orbita oculorum, uti

et margo labii superioris sunt coloris albi: mystaces exoriuntur e striâ nigrâ, quae sub oculis observatur; maxilla inferior ac gula, venter et pars introrsum versa pedum est alba. Cauda in apicem exiens unicolor cernitur.

Margo aurium extrinsecus subnigris pilis albisque intermixtis occupatur. Apicem longus penicillus nigri coloris obtinet: ceterum in corpore nullae cernuntur maculae manifestae.

Ungues pedum exhibent colorem e luteo album.

Mensurae.

Ab apice rostri usque ad	caudae basin	0,86.
	Capitis	0,18.
	Caudae	0,29.
	Auricularum	0,07.
	Penicilli	0,05.
Pedum	anticorum	0,30.
»	posticorum	0,41.

Horum animalium patria est tam *Senegal* et *Barbaria*, [1] quam apex Meridionalis Africae; ubi inter illa, quae haud valde rara sunt, ea numerare licet.

Species F. CALIGATA.

BRUCE *Voyage* IV, T. 30.
TEMM. *Monogr. de Mamm.* p. 123.
F. Caffra, DESMAR. *Mamm. Suppl.* p. 540, 837.
Felis Chaus, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III. p. 304.
F. CUVIER et GEOFFR. *Mamm.* c. Fig.
Wilde Kat (*Col.*)

Color velleris videtur in hoc animali pro diverso sexu, quemadmodum et pro diversis vitae periodis, aberrationi obnoxius esse.

Universe est color in sexus masculini adultis speciebus e caeruleo griseus, cinereis intermixtis pilis; in corpore observantur

(1) Specimina, quae in dictis regionibus reperiuntur, nihil discriminis offerunt.

fasciae transversae, quae colorem minus manifeste subnigrum exhibent.

In speciminibus autem sexus foeminini multo lucidior est dictus color, et sunt fasciae obliquae colore magis subrubro.

Pili in superiore corporis parte, e rubro griseam speciem habent; variis locis tamen aliquot nigri pili iis intermiscentur: qui quidem in cervice et per dorsum majore numero occurrunt. Inferior corporis pars ostendit colorem lucide fuscum. Antipedes fasciae tres, posticos autem quatuor colore subfusco ornant. Gula quidem et mystaces sunt coloris albi.

Auriculae exhibent extrinsecus colorem rufum; (1) ad apicem cernitur penicillus perparvus, pilis e fusco nigris constans. Pars posterior pedum, plantarumque ater.

Cauda in parte inferiore exalbida: ad apicem occurrunt tres aut quatuor annuli subnigri, alternantes.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae basin	0,68.
Caudae	0,37.
Capitis	0,15.
Pedum anticorum	0,28.
» posticorum	0,34.

Videtur haec species tam Africam Septentrionalem, et mediam, quam Promontorium ejus Australe inhabitare; ita ut postremo loco in plerisque reperiatur plagis.

Genus **PHOCA.** LINN.

Auriculis (externis) *parvis* (OTARIAE.) AUCT.

Species PH. PUSILLA.

SCHREB. *Säugth*, p. 314. 9. Tab. 85. Fig. V.
De Lalandi, F. CUV. *in Dict. des Sc. Nat.* XXXIX. p. 423.
Petit Phoque, BUFF. *Hist. Nat.* XIII, p. 341. T. 43.
Zeehond (*Col.*)

In maxilla superiore sex exstant dentes incisores, quorum duo extremi sunt maximi, atque a ceteris remoti.

(1) Haec videtur omnino esse constans ac characteristica nota.

Caput magis rotundum, rostrum minus obtusum quam in OTARIA PERONII. [1] Auriculae perangustae; extremitates posticae mediocri longitudine; tres distincte apparentes ungues hîc observantur: membrana digitorum, quae sese extendit, in quinque inter se invicem satis magnitudine convenientibus lobis terminatur. Ungues autem in pedibus anticis non cernuntur. Membrana pedum anticorum in margine irregulariter est excisa. Cauda perbrevis; pili sunt levigati ac molles; color totius velleris lucide niger.

Ad oras Promontorii Africae Meridionalis occurrit haec species, potissimum in sinu, qui a *Simone* dicitur, (*Simons-Baaij*).

Species PH. ANTARCTICA ?

THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III. p. 322.

In mari Australi ad Promontorium Bonae Spei.

GLIRES.

Genus GRAPHIURUS.

FR. CUV. et GEOFFR. *Mamm.* Ed. Form. Max. *Char. Gen.* (Vide descriptionem Speciei.)

Species GR. CAPENSIS.

Dentes incisores $^2/_2$ simplices; *Molares* $^{4-4}/_{4-4}$, valde minuti, primo forma vestigii linearis; sequentibus cylindricis, coronidibus applanatis glabris. (An ex usu frequenti?)

Pedes breves, graciles, longitudine fere aequales; antici digitis quatuor, loco pollicis tuberculo, unguiculo plano instructi:

---

(1) *Otaria* PERONII, *Mamm.* p. 250, 382., a variis scriptoribus censetur nequaquam a *Pusillâ* differre: quod minus rectum est. Diversa enim est non tantum colore, sed quoque figurâ, atque adeo proportione corporis, ob majorem extremitatum extensionem.

postici digitis quinque externis brevioribus; unguibus validis, acutis, compressis, fornicatis praediti. *Cauda* brevis, robusta, cuneiformis; oculi minores quam in Myoxo; pupillâ rotundâ. *Auriculae* magnae, rotundatae, simplices; rostrum sub-productum; rictus oris angustus; vellus densissimum, constans pilis lanosis, sericeis intermixtis: hi caudam investiunt, eam penicilli-formem reddentes.

Superior capitis pars, cervix, humeri, dorsum, femora et superiores extremitatum partes coloris fusci et brunneo-grisei sunt.

Apex rostri, latera, pronae capitis partes rubro-alba: stria lata nigro-brunnea procurrit inde ab oculis usque ad aures; macula pilis albis constans, ad supremam anticamque baseos aurium partem est.

Cauda pilis griseo-brunneis, in parte superiore albis quoque intermixtis, ad apicem ex-albida apparet.

Genus SCIURUS. LINN. (1)

Species S. SETOSUS.

S. Erythopus, GEOFFR. *Coll. du Mus.*
S. Capensis, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III. p. 310.
Aguimp Hottent.

Magnitudine videtur hocce animal non a vulgari esse distinctum.

Corpus pilis crassis, setosis tegitur; qui in parte superiore gaudent colore sub-ferrugineo: in ventris tamen lateribus evadit hic pallidior; ad pedes idem est pallidissimus.

Linea alba in utroque corporis latere, plane conspicua, detenditur a mediâ scapulâ ad pedes posticos usque: venter et partes pedum internae habent colorem impure album.

(1) SCIURUS OCULARIS *in Zool. Journ.* N°. XVI. p. 439, nonne eadem est species? Descriptio, quae illic additur, plane quidem differt ab eâ, quae hoc loco exstat: sed credendum est, SMITHIUM suam fecisse ad specimen valde tenerae aetatis.

Locus, in quo degit, secundum eundem Scriptorem est *Sinus Plettenbergensis*, (*Plettenbergs-Baaij*).

Margo labii superioris, mentum, gula pectusque sunt candida; linea nigra, minus tamen conspicua, quae inde a palpebrâ inferiore usque ad scapulam procurrit, separat in unoquoque latere colorem fuscum ab albo.

Marginem orbitalem superiorem linea candida exornat.

Auriculae sunt parvae ac pilosae, sine ullo penicillo.

Cauda, ad basin tenuibus pilis obsita, habet eos in mediâ parte et ad apicem mediocres. Constant autem illi caudae pili mixturâ coloris pulli atque albi.

Mensurae.

A nasi apice usque ad caudae basin	0,27.
Caudae	0,23.
Capitis	0,06.
Pedum anticorum	0,08.
» posticorum	0,14.

Habitat hoc animal in sylvis ac regionibus Coloniae inferioribus; attamen, nisi fallor, raro tantum occurrit.

Specimina *Senegalensia* minime a SCIURIS Africae Meridionalis differre videntur.

Genus **MYOXUS.** SCHREB.

Species M. MURINUS. (1)

DESMAR. *Mamm. Suppl.* p. 542, 844.
M. Lalandianus, SCHINZ. *in* CUV. *Thierr.* IV. p. 393.
M. Erythrobronchus, SMITH, *Zool. Journ.* XVI. p. 438.

Corporis pars supina est murini coloris, parum fusco induta; venter autem exalbidus.

Specimina juniora ostendunt in pronâ parte corpus omne albi coloris. In adultioribus margo labii superioris, gula, pectus, item

(1) M. MURINUS, LALANDIANUS et ERYTHROBRONCHUS pro unâ eâdemque specie sunt habendi. Quem enim DESMAR. descripsit, erat pullus. Qui a SMITHIO commemoratur, est aetatis adultioris: atque inde cernitur in iis major coloris novitas.

Quum mihi nova hujus specimina comparare liceret, de illâ re statim certior factus sum.

pars interior pedum anticorum, ac tarsi pedum posteriorum colorem ferrugineum assumunt; qui tamen in iis, qui ultimo loco commemorabantur, aliquantum est laetior.

Auriculae sunt magis rotundae; quod vero ad partes interiores exterioresque earum pertinet, pilis hae carent. Mystaces longi nigrique apicem versus.

Digiti dilutiores sunt ac pilis brevibus incumbentibus teguntur: pili autem corporis magis sunt lanati ac molles.

Cauda pilos densos offert, imprimis mediam partem versus depressa: plus tamen pilorum rubrorum his intermiscetur, quam pilis, qui sunt in corpore.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae radicem	0,12.
Caudae	0,06.
Capitis	0,04.
Auricularum	0,012.
Pedum anticorum	0,03.
» posticorum	0,038.

Habitant in arboribus; at potissimum in regionibus sylvestribus Coloniae reperiuntur: praecipue tamen in parte Orientali prope *Knysnam, Portum Elisabethae* cet.

Genus **MUS.** LINN.

Species M. DECUMANUS.

PALL. *Glir.* p. 91, 40.
LINN. *Syst. Nat.* Ed. GMEL. I. p. 127, 6.
ZIMM. *Geogr. Gesch.* II. p. 361, 271.
DESMAR. *in Dict. d. Sc. Nat.* XLIV. p. 471.
Idem in Mammal. p. 299, 473.

Hoc animal, quod ex Asiâ originem ducit, hominesque ad ultimas usque prosecutum est Colonias, non raro quoque apud nos offenditur.

Dorsum fusci est coloris; variis locis tamen ei immiscentur pili subnigri: ad corporis latera color rufescit; in ventre autem

idem sordide albet. Pro variis tamen regionibus diversae observantur aberrationes.

Differt a MURE RATTO, non tantum colore, sed imprimis caudae longitudine. Apud priorem enim haec raro obtinet plus, quam duas tertias partes longitudinis, quae est corpori: in posteriore aequat eadem illam corporis plane.

Quandoquidem hujus animalis indoles notissima est, videtur minus necessarium hoc loco plura de eo addere.

Species M. RATTUS. LINN.

Num haecce species in Coloniâ nostrâ revera exstet, pro certo vendere nolim.

Species M. PUMILIO.

SPARM. *in Kongl. Wetensk. Akad. Handl. A°.* 1784. p. 339. T. 6.
BRANDS, *Muis.* p. 103, 30.
Lineated Mouse, SHAW, *Gen. Zool.* II. 1. p. 69. T. 133.
FR. CUV. et GEOFFR. *Mamm.* 61. Fasc.

Pili in hoc animali mediocriter sunt longi, coloris praesertim fusci; luteo ac griseo intermixto: qui manifeste distinguitur per quatuor lineas subnigras; quae, pari intervallo, inde a cervice per dorsum ad caudae radicem usque decurrunt. Quidquid autem dictis his lineis interjacet, plerumque colore sordide albo aut griseo, luteo intermixto, gaudet.

Caput pusillum. Auriculae intus obteguntur pilis brevibus ac pullis; qui extrorsum videntur esse subnigri: ad marginem autem color nigricans praevalet.

Cauda brevis, pilosa atque annulata est; suprà nigri coloris; dum inferior pars alba sit.

Ejus longitudo minus accurate definiri posse videtur. (1)

(1) In *Museo* BEROLINENSI unum hujus speciei reperiebam specimen; cujus cauda corporis longitudinem aequabat.

DESMAR. in *Mammalogiâ* suâ varietatem quamdam citat, quae magnitudine erat distincta.

Varietas in *Museo* BEROLINENSI hujusce est mensurae:

Ab apice rostri usque ad caudae basin	0,15.
Caudae	0,10.
Auricularum	0,01.

Ceterum conveniunt dictae species satis colore.

In variis Coloniae partibus adsunt. Doct. SPARMANN memorat, a se horum MURIUM PUMILIONUM magnam copiam esse visam in silvis *Sittikama*..

Species M. COLONUS.

LICHTENST., BRANTS, *Muis.* p. 124, 41.

Specimen hujus animalis in *Museo* BEROLINENSI exstat, et commemoratum est per BRANTSIUM, loco laudato. Definitio autem ab hoc Viro Doctissimo ibi prodita, videtur, quatenus istud animal novimus, lacunam nullam reliquisse. Quam ob rem haud est, quod eam hoc loco non proferamus.

Omnis pars supina est grisei coloris; abdomen versus rubrofusco induta, qui tamen in lateribus est dilutior: subtus autem aliquatenus in album transit. Quod idem valet de pedibus atque ore.

Corpus est crassum graviusque.

Cauda, corporis longitudinem exaequans, est fere penitus nuda; annulata colore exalbido.

Fertur ad plagas Orientales Coloniae prope Sinum *Algoacum* (*Algoa-Baaij*) habitare.

Quaedam ad ejus vitae rationem pertinentia indicare, in aliud tempus differimus.

Nova Species. Conf. Tab. II.

M. DOLICHURUS.

Nomen, quod huic animali assignamus, primariam ejus notam, quae primâ fronte cuivis in oculos incurrit, optime indicat.

Cauda longissima inter MURES cognitos est MURI ALEXANDRINO; neque in hoc illius longitudo eam corporis valde superat. At in specie, quam nunc descripturi sumus, cauda corpore multum longior existit.

Animalculum hoc elegantissimum et perpulchrum, omnes notas Murium habitûs prae se fert. Magnitudine medius est inter MUREM MUSCULUM ac MUREM RATTUM.

Caput formam habet vulgaris MURIS MUSCULI: nasus est mediocris, pilisque brevibus obsitus; qui ad utrumque latus in orbis speciem eriguntur. Vibrissae satis longae ac nigri coloris, parce ad ambo labii superioris latera offenduntur. Oculi sunt medii inter nasum atque aurem; et dum illi in omnibus Muribus valde conspicui sint, potius parvi, quam mediocres hîc dicendi erunt.

Auricula est rotundata, magnitudine cum illâ MURIS RATTI congrua; ubique pili breves, sed rariores eam investiunt: qui in latere exteriore longiores et frequentiores evadunt.

Corpus atque extremitates, caudâ exceptâ, plane conveniunt cum iis Murium: eâdem ratione sese quoque habent digiti pedum, praeter pollices; qui perbreves spuriis unguibus occupantur: ceterum sunt ungues breves, at acuti.

Caudae longitudo multo major est, quam illa corporis; annuli in eâ sunt aeque manifesti et frequentes, atque in MURE RATTO; paucis solummodo iisque brevibus pilis interspersis: qui tamen basin versus, quantum caudae crassitudo imminuitur, copiâ majore reperiuntur, caudamque apice setoso, mediocri ac rigido terminant.

Pili universe longitudinis mediocris sunt permolles; inferiora tamen versus breviores.

Quemadmodum in omnibus Muribus, etiam hîc digiti pedum pilis rigidis, brevibus ac paucis sunt obsiti; qui adeo ultra ungues prominent, eosque aliquantulum abscondunt.

Color hujus animalis est saturate fuscus, intermixto silaceo: id, quod per pilos bicolores ac variegatos efficitur. Latera versus idem color evadit laetior, et videtur in variis locis, imprimis ad pedes, pure silaceus. Hoc lucido colore cohaeret omnis inferior corporis in hoc animali pars, ita ut inde color pulcher pallidus oriatur. Praecipue autem hocce animalculum superbit maculâ sub quovis oculo nigrâ, ad extremam usque orbitam protensâ, ubi penitus evanescit.

Dentes incisores sunt laevigati; quod et in Muribus observatur: antica cranii pars mediocriter est extensa. Dentes molares ubique tres numero exstant; illis Murium plane similes. Nulla cranii pars porro offert aliquid singulare: verbo, exhibetur nobis verus omnino Mus.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae basin	0,125.
Caudae	0,145.
Antibrachii	0,015.
Plantae pedum anticorum	0,011.
Cruris	0,026.
Plantae pedum posticorum	0,025.
Ossis Humeri	0,013.
Ulnae	0,02.
Ossis Femoris	0,024.
Tibiae	0,027.

Non longo tempore abhinc specimina ejus ex Africa Meridionali ad Regium *Museum* LEIDENSE pervenerunt; illic autem imprimis prope urbem *Capensem* degit: nihil nobis ulterius de bestiolâ hac nitidissimâ innotuit.

Genus DENDROMYS. SMITH.

Dentes primores $^2/_2$; suprà in paginâ anticâ sulco longitudinali exarati; infrà longi, graciles, scalpro cuneato.

Pro *Laniariis* diastema. *Molares* $^{3-3}/_{3-3}$; suprà primus tuberculis sex in duplice serie; duobus praeterea indistinctus: quorum unum ad anteriorem partem coronae dentis; alterum juxta alterum seriei internae tuberculum, pone lamina transversa inciso-

ria. Secundus duabus aut tribus longitudinalibus laminis incisoriis, secus marginem externum coronae suae; cujus in medio tria aut quatuor obtusa tubercula transversa seriatim jacent: tertius duabus laminis incisoriis transversis, sulco interjacente: infrà, primus tuberculis sex fere in duplice serie; secundus quatuor obtusis, eodem ordine dispositis; tertius perparvus, undatis aliquot laminis transversis et sulcis interjectis.

Rostrum acutum. *Labium* fissum. *Auriculae* oblongae nudiusculae, et intus juxtà cranium duabus valvulis transversis membraneis; quarum inferior meatui auditorio externo superjacet. *Pedes* distincti, ambulatorii; antici digitis tribus et verrucâ hallucari; postici pentadactyli. *Ungues* falculares. *Cauda* elongata, annulata, raro-pilosa.

Species D. MESOMELAS.

BRANTS, *Muis.* p. 122, 40.
SMITH, *Zool. Journ.* XVI. p. 438.

Partes superiores corporis gaudent colore impure fusco; digiti, quemadmodum etiam gastreum exalbido; extremitates extrinsecus belle fulvastri.

Hìc linea nigra, quae a cervice incipiens, per dorsum usque ad caudae radicem procurrit, observatur.

Pili longi ac molles, reperiuntur imprimis densi ad genas.

Auriculae satis copiose pilis obteguntur.

Cauda annulata pilosissima brevior; suprà nigra, (1) infrà alba.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae basin . . . . 0,10.
Caudae . . . . 0,075.

Degunt in partibus Orientalibus Coloniae; imprimis vero reperiuntur in circuitu *Portus Elisabethae.* SMITH memorat, haec animalia in arboribus degere solere; unde nomen genericum iis tributum.

(1) At specimen, quod in Museo BEROLINENSI conservatur, differt a SMITHIO, l. l.; ibi scilicet caudae longitudo eam corporis superat.

Genus MERIONES. ILLIG.

Nova Species Tab. I. Fig.

M. SCHLEGELII.

Specimina complura memorabilis hujus animalis, in quo describendo nunc versabor, Museum *Regium* hac in urbe, indefesso naturae investigatori HORSTOCKIO debet.

Diu dubitabam atque ambigebam, utrum hocce animal generi MURIUM an MERIONUM esset accensendum: posterius tamen denique aptius justiusque censui. Exhibet enim revera transitum, perquam manifestum, ab uno ad alterum genus.

Accedit quidem ad MERIONUM genus dentibus incisoribus, sulcatis; nec non majore latitudine molarium dentium; qui in lamellas magis transversas dividuntur. Color tamen ex murino atque isabellino mixtus, genus intermedium prodit; uti statim apparet.

Quoad extremitates robustas, convenit hocce animalculum cum MURIBUS; quidquid tamen pedibus ratione gracilitatis ac teneritatis deëst, suppletur longitudine; quâ major cum MERIONUM genere cognatio ei fit. Adulta magnitudine non multo inferior est MURE RATTO LINN. Habitus parem indicat dexteritatem, tum currendi, tum saliendi. Figura quoque ac color nobis statim MURIUM genus in mentem revocant.

Uti in plerisque gliribus, dentes incisores labiis tantum dimidiâ ex parte teguntur, ac statim propter colorem luteo-brunneum in conspectum cadunt. Nasus non ita multum, uti videtur, productus, glaber est, atque circulum nares conjungentem exhibet: in circuitu autem haud secus ac labia pilis brevibus, plerumque erectis, cingitur, qui directionem suam secundum organa, quae obvestiunt, mutant, atque infra mentum speciem quamdam annuli efficiunt. Ad latera narium supra oris rictum, exsurgunt mystaces, e pilis firmis, in series dispositis, nigri ac subalbi coloris compositi. Prominent autem exterius formâ eleganter inflexâ in maxillis; longitudine quidem sunt diversi, ita tamen, ut haec superiora versus sensim imminuatur.

In postremâ parte dimidiâ intervalli, quod inter nasum auresque est, siti sunt oculi mediocres; qui, quamvis proportione majores quam in MURIBUS, haudquaquam tamen magnitudinem, quam dipodum species in ipsis offerunt, exaequant.

Aures quoque pro mole majores sunt, quam in MURIBUS, atque eas MURIS RATTI magnitudine antecellunt.

Forma est amplior; superior pars marginis postici leviter excisa: in parte interiore paucis modo pilis obtegitur; latus exterarum contrà pilis multo densioribus, imprimis in parte anticâ, convestitur.

Forma colli ac corporis nihil singulare offert, neque ab illâ MURIUM discrepat; nisi quod in universum aliquanto fortior atque obesior sit.

Extremitates contrà, praecipue tibia, tarsi et antibrachium, longissimae sunt; attamen earum robur pro dimensione multo minus est.

Tam antici quam postici pedes gaudent digitis quinque; qui imprimis in posticis modice longi, a se invicem sunt fissi. Medius digitus ceteros longitudine superat: duo autem proximi paulo breviores sunt; extremi denique imprimis brevissimi.

Pollex brevitate est insignis; qui parvo ungue munitus, e situ opposito extremitates anteriores ad prehendendum aptas et ita veras manus reddit: reliqui ungues sunt multo longiores, quam vulgo in MURIBUS; rectiores proinde et minus falcati, valde compressi, in parte inferiore excavati; magnitudo ratione symmetricâ cum digitis decrescit.

Cauda teres, uti in plerisque MURIBUS, longissima est; attamen mensurâ longitudinem corporis nunquam excedit.

Deformis istius uropygii ad caudae basin, quod multis muribus adeo proprium est, jam hîc quoddam extat vestigium; attamen sat exiguum. Sensim crassitudine caudae decrescente, tandem in apicem obtusum excurrit: annuli ipsius sunt minores, quam in MURE RATTO; at propter crassiores molliores que pilos, quibus obteguntur, minus conspicui: apicem versus pili evadunt longiores, praesertim in parte superiore; nec tamen penicillum, nec series pilorum elongatas, quae in reliquis MERIONUM speciebus observantur, efficiunt.

Omne animal tegitur vellere perquam tenero, denso, modice longo et laevigato: quod in corpore videtur longissimum, in capite autem rigidius, breviusque.

Extremitates eodem villo teguntur usque ad antibrachium ac femur; ubi subito observatur brevissimus, investitque superficiem anticam manuum ac pedum: mutatur in pilos breves, ad utramque partem versos, laevigatosque, ita ut cutis leviter pelluceat.

Color totius animalculi, primo adspectu, quasi e brunneo-nigro atque isabellino mixtus videtur; in lateribus tamen color isabellinus praevalet: in parte supinâ ac retrorsum versâ, imprimis ille niger dominatur. Partes pronae e contrario magis in album colorem transeunt. Si vero accuratius inspiciuntur, villus per cunctas partes supinas ac laterales animalis, colorem splendide fumigatum ad basin exhibet.

Pili breviores in extremis partibus, circa nasum labiaque in pronâ caudae parte sunt albidi: inde ab utroque oculo ad aurem usque, procurrit stria pallida, vix conspicua; alia ejusmodi, at latior, evanescit pone aurem; postquam basin extrorsum complexa est. Reliquae auris partes gaudent colore fusco, nigro; ac tantum in margine antico apparent pili longiores coloris isabellini.

Specimina diversa, quae inquisivi, a se invicem colorum distributione plus minus distincta, aliquantulum discrepabant.

Juniores majoribus figurâ coloreque simillimi, tantum isabellino coloris nitore destituuntur: id, quod etiam in diversis speciminibus aliquantulo plus minusve conspicuum est.

DESCRIPTIO SCELETI.

Conf. Tab. III. Fig. 1—5.

In sceleto etiam animalculum hoc valde memorabile, cum utroque genere MURIUM et MERIONUM arctâ cognatione jungitur.

Dentes incisores sunt perangusti, curvati, et introrsum flexi; pars autem extrorsum conversa, est colore e brunneo luteo: superiores sulco mediocri longitudinali exarantur. Magno intervallo disjunguntur iidem a dentibus molaribus; quorum in utroque latere maxillae tam superioris quam inferioris, tres retrorsum ten-

dentes sensim magnitudine decrescunt: primus undulis transversis elevatis tribus, posterior solum duabus gaudet; quae valde angustae, altiore margine continentur. Ultimus autem dens in maxillâ inferiore offert tantum unam.

Cranium in parte posticâ est latius parte anticâ; arctius, quam in MURIBUS; unde foramina palativa atque infra-orbitalia figuram elongatam nanciscuntur. Superior ossis Lacrymalis pars formam magis habet squamulae tenuis atque eminentis. Ossa Jugalia sunt tenerrima; maxilla superior accipit ea tantum unico ramo; cujus pars altissima lata et deorsum flexa est; at sub figurâ tenuis lamellae, in lateribus capitis arcuate procurrit, ita ut in uno latere foramen infra-orbitale constituat; per alterum autem anticae Masseteris parti opportunum insertionis locum offerat: qui in his animalibus proprium musculum mandibulo-maxillarem efficit. Ramus autem adscendens maxillae inferioris valde retrorsum dirigitur.

Tympani cavitas longe majorem constituit bullam, quam plerumque in MURIBUS observatur; unde sic magis accedit ad MERIONUM speciem. Scapula multo angustior est eâ MURIUM, nec margo anterior in angulum exit.

Digiti pedum ac claviculae, quas in MERIONIBUS adeo sunt tenues, differunt tantum ab iis MURIUM majore longitudine.

Reliquae in sceleto partes offerunt praeter eas, quas diximus, nullas memorabiles differentias.

Mensurae.

Longitudo ab apice rostri usque ad caudae basin	1,162.
Caudae	0,144.
Antibrachii	0,026.
Plantae pedum anticorum	0,018.
Cruris	0,044.
Plantae pedum posticorum	0,038.
Ossis humeri	0,018.
Ulnae	0,025.
Ossis femoris	0,029.
Tibiae	0,041.

Quid *Gerbillus Afra*, GRAY, *Isis* 1831, p. 78? citat quoque *Mus Cericeus* TEMM.

Pilis mollibus suprà castaneis, vellere plumbeo, infrà mentoque albis, capite acuto, caudâ longitudine corporis. Longi. 6″. Cauda 5″. — In Promontorio BONAE SPEI.

Incolit Africam Meridionalem; atqui in *Portu Elisabethae* primum detectus fuit; vivendi rationem tamen, item distributionem Geographicam ipsius, quippe minus cognitas exponere, in aliud tempus differre oportet.

Genus CTENODACTYLUS.

GRAY, *Spec.* II. *Tab.* 10. *Isis* 1831. p. 738.

Dentes incisores $^{2}/_{2}$ robusti; truncati; *morales* $^{3\text{-}3}/_{3\text{-}3}$, lamellosi, coronidibus bilobatis.

Podia omnia digitis quatuor et verrucâ hallucari obsoletâ: *Ungues* laxati, falculati. *Digiti* interne cum appendiculis osseis pectinatis. *Cauda* brevissima pilosa est.

Species C. MASSONII.

GRAY, *Spec.* II. *Tab.* 10. *Isis* 1831. p. 738.

Corpore pallide fulvo, subtus albido; pilis in basi plumbeis, in apice nigrescentibus; auriculis externe pilis densis tectis, velleris longitudine; mystacibus longissimis atris.

Num revera ex Africâ Meridionali? In Museo LEIDENSI specimen ejus conservatur ex *Barbariâ.*

Genus OTOMYS.

EURYOTIS. BRANTS.

Species O. IRRORATUS.

E. Irroratus, BRANTS, *Muis.* p. 94, 27. c. Fig. (bon.)
LICHT. *Darstell. Neuer Säugethieren*, Tab. XXX.

Auriculae, quae imprimis characteristicae sunt, pro corporis mensurâ permagnae, latae, fere orbiculares et prope se invicem

collocatae: meatum auditorium plane obtegunt longi, iique ad basin collocati pili.

Color pilorum constat fusco, flavido, rufo nigroque; apices scilicet uno horum colorum ornantur; ad basin vero omnes sunt schisticolore: ad apicem nasi breves et erecti. Ceterum sunt tenerrimi, incumbentes, mediocris longitudinis; in pedibus tamen breves.

Posticae extremitates sunt brevissimae. Ungues vero superant eos antipedum: plantae pedum ad calcem usque nudae.

Cauda, quam corpus parte tertiâ brevior, obtegitur pilis brevissimis; qui angulos penitus obtegunt, et apicem versus breviores evadunt. Suprà color griseus; nigro intermixto: subtus autem albus.

Mensurae.

Ab apice rostri usque ad caudae basin	0,22.
Caudae	0,105.
Capitis	0,05.
Auricularum	0,023.

Degunt in sylvis, magis partes Orientales Coloniae versus.

Species O. UNISULCATUS.

F. CUVIER et GEOFFR. *Mamm.* Fasc. 60.

Hanc alteram speciem in Opere suprà laudato tantum invenimus descriptam: traduntur autem ejus sequentia insignia.

Pellis abunde occupatur pilis mollibus, bifariis, brevissimis: qui majore numero extant ac colorem constituunt, sunt lanati. Ibi ope microscopii observantur in iis annuli opaci atque hilares, alternantes.

Pili lanati exhibent duabus tertiis partibus suae longitudinis schisticolorem: deinceps extat color luteo-albus; in apice idem niger est.

Genus **PEDETES.** ILLIG.

HELAMYS. FR. CUV.

Species P. CAFFER.

Yerbua Capensis, R. FORSTER *in K. Sv. Vet. Acad. Handl.* 1778. p. 108. Tab. 3.
P. Capensis, DESMAR. *in Nouv. Dict.* XXV, p. 103.
Dipus Caffer, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III. p. 309.
H. Capensis, FR. CUVIER *in Dict. de Sc. Nat.* Tom. XX. p. 344.
Spring-Haas (*Col.*)

A genere dipodum, quibuscum, quod ad formam externam pertinet, aliquatenus convenit, statim facile dignosci potest caudâ, magis aequaliter pilosâ; item numero, ac potissimum singulari unguium pedum posticorum formâ. Etenim hos magis dimidias ungulas dicere liceret; quippe ii latissimi ad basin, longitudinis mediocris, mucronati sunt, atque, ut ita dicam, pyramidalem figuram exhibent. Subtus ungues sunt excavati; unde quam aptissimi evadunt ad amoliendam terram.

Corpus tegitur pilis mollibus, mediocris longitudinis; quibus maximâ parte est color e fusco griseus: hic ad cervicem et latera ventris dilutior evadit color.

Omnis maxilla inferior, gula, pectus, venter ad partes interiores pedum anticorum et posticorum, uti et pili ad unguium basin, sunt alba. Color albus ventris procurrit ad partes superiores, ibique efficit striam, quae marginem anticum superiorem pedum posticorum constituit.

Auriculae longae, acuminatae, ad basin densissimis pilis obvestitae sunt.

Cauda gerit pilos crassiores ac paulo longiores; media ejus pars densissimis pilis tegitur, minime tamen super-impositis.

In parte anticâ baseos usque ad medium illi pili sunt coloris russi; in parte pronâ vero albi: reliqua pars habet colorem prorsus nigrum.

Mensurae.

Ab apice nasi usque ad caudae basin	0,57.
Caudae	0,49.
Capitis	0,13.
Auricularum	0,07.
Pedum anticorum	0,12.
» posticorum	0,29.

Animal hoc incolit interiores Coloniae regiones, imprimis Orientem versus, interdiu in antris sese occultans: maximum damnum adfert campis frumentariis; quippe quos noctu valde devastat.

Genus BATHYERGUS. BRANTS.

Species B. MARITIMUS.

BRANTS, *Muis.* p. 335.
Arctomys Maritimus, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III. p. 308.
DESMAR. *in Nouv. Dict.* p. 323, 1.
Land-Moll (*Col*).

Corpus magni hujus BATHYERGI figurâ conicâ; partibus extremis tamen crassioribus, quam anticis. Caput satis magnum, longiusque productum, quam in specie mox secuturâ.

Dentes superiores incisores sunt in mediâ parte sulco profundo exarati; pedes breves ac firmi, omnes digitis quinque instructi; quorum exteriores pedum anteriorum longitudine eminent; plantae pedum depiles sunt.

Cauda brevis compressa, setis rigidis albis accincta.

Reliqui pili molles, non nitentes; corpus in parte supinâ exhibet colorem leviter fuscum; qui in parte inferiore in griseum abiit.

Hoc animal degit in Promontorio BONAE SPEI, tantum prope colles arenosos: ad fodiendum videntur terram humidiorem eligere; imprimis vero ea loca, in quibus crescit. CUNONIA *Capensis*, magnitudine insignis, cujus radices copiosae sunt, praecipuum alimentum huic bestiae videntur suppeditare.

Species B. CAPENSIS.

BRANTS, *Muis.* p. 36, 5.
Mus Capensis, PALL. *Glir.* p. 76. 8.
DESMAR. *in Nouv. Dict.* III, p. 323, 2.
Arctomys Capensis, THUNB. *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 308.
Bles-Moll (*Col.*)

Corpus in hoc animali est deformius, magisque trochleare, colore sub-cano indutum; qui saepe in luteo-canum transit.

Caput crassum ac rotundum semper exhibet speciem magis fuscam; circuitus vero aurium, oculorum atque oris margine hirto circumdatur. (1)

Oculi sunt perparvi. Digiti pedum anteriorum sunt pro corporis dimensione majores, quam iidem in specie praecedente reperiuntur: ungues tamen magnitudine illis cedunt.

Cauda brevis et in apice penicillo, e setis sordide albis composito, munita.

Quod ad magnitudinem pertinet, est illa longe minor in hac, quam in priore specie. (2)

Incolit hortos ac plagas fertiles Coloniae, et reperitur adeo in regione CAFFRORUM.

Species B. CAECUTIENS. LICHTENST.

Dentibus Incisoribus laevigatis, oculisque extrinsecus non conspicuis.

BRANTS, *Muis.* p. 37, 7.
B. Hottentottus, LESS. et GARN. *in Bullet. de Sc. Nat.* VIII, p. 77, 80, 2.
An. B. Ludwigii, SMITH *in Zool. Journ.* N°. XVI. p. 439.

Haec species staturâ multum minore a praecedentibus valde dif-

(1) Illud semper atque in omni aetate observatur: in his, qui magis sunt adulti, cernitur quoque macula alba in vertice capitis.

(2) Hancce speciem quam certissime a praecedente differre, ac merito pro distinctâ esse habendam, nemo amplius omnino dubitabit.

De differentiâ sceletorum videatur Opus, patrio idiomate conscriptum; cui titulus est: *Bijdrage tot de Natuurk. Wetenschappèn* Viror. Cl. VROLIK et MULLER.

fert. Caput magis acuminatum; genae multo magis obteguntur; prope nares exstat pecten setarum contra se invicem adsurgentium.

Ungues in pedibus anterioribus parvi ac curvati, habent fere eandem magnitudinem: pedes vero posteriores eosdem planos exhibent. Cauda ejusdem est naturae, atque in praecedentibus.

Nulli oculi externi hîc conspiciuntur. (1) Color totius animalis est caeruleus; qui tamen in parte pronâ aliquantum dilutior fit.

Incolunt haec animalia varias Coloniae plagas; ac, sicuti species modo dicta, in hortis inveniuntur; minori tamen copiâ. Quamnam vitae rationem sequantur, adhuc ignotum est.

CLAVICULIS IMPERFECTIS NULLISVE.

Genus **HYSTRIX.** LINN.

Species **H. CRISTATA.**

LINN. *Syst. Nat.* 12, I. p. 76, 1.
Hystrix, PLIN. *Hist. Nat.* VIII, c. 35.
Ὕστριξ ARISTOT. *Hist. Anim.* II, c. 7, 62.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 310.

Hoc animal, quod hodie etiam in nonnullis Europae Australis regionibus occurrit, et ab illis, quae Africam incolunt, minore corporis magnitudine, uti et universe tenuioribus aculeis differt, haberi potest ex Africâ originem duxisse.

Oculi sunt pusilli: labium superius fissum; praeter aculeos obtegitur corpus setosis ac lanatis pilis; quorum posteriores coloris magis rubicundi sunt.

Vertex pilis longis, quos animal pro lubitu, ut cristam erigere potest, occupatur; rostrum, latera cervicis, gula et anticae humerorum partes, pectus ac venter brevibus pilis obteguntur.

Aculei occupant dorsum et latera; caudales muniuntur ad radicem tubulo, qui cuti adhaeret.

Aculei teretes sunt striis longitudinalibus instructi; ad apicem

(1) In specimine effarcto, quod in Museo BEROLINENSI hospitatur, cutem ne minime quidem attenuatam observavi eo loco, ubi oculi forent. Quapropter mirum videtur a SMITHIO in descriptione suâ, l. l., nullam hujus rei factam esse mentionem.

nonnulli ancipites, dum in acutam exeant cuspidem. Occupantur autem hi aculei annulis alternantibus nigro-fuscis atque albis.

Offenduntur haec animalia etiam in parte Meridionali Africae. Interdiu in antris subterraneis occulta, noctu prodeunt; quo etiam tempore venatum exeunt, alimentum quaesitura.

Genus LEPUS. LINN.

Species L. CAPENSIS.

THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III, p. 309.
F. CUVIER *in Dict. de Sc. Nat.* XXVI, p. 308.
Cap. Hare, PENN. *Syn.* p. 253, 189.
GEOFFR. *in Dict. Clas.* IX, p. 382.

Licet LEPUS CAPENSIS universe quidem magnâ parte cum LEPORE EUROPAEO conveniat, potest tamen, perscrutatione diligenti institutâ, omnino ab eo dignosci.

Auriculae sunt multo longiores, atque adeo longitudinem superant capitis.

Margo superior occupatur pilis subnigro-griseis.

Color in superiore corporis parte constat mixturâ coloris nigri ac leviter fuliginosi. Circuitus cervicis, pectoris ac menti offert colorem subrubrum: venter ac pars superior pedum posticorum in partibus introrsum versis, uti et inferior caudae pars sunt albi coloris; dum ejusdem caudae superior pars sit nigra.

Pedes antici ac postici, nec non latera ventris sunt rufi coloris; ille in pedibus anticis est tamen magis fuscus.

Ungues sunt in pedibus posticis longissimi, omnesque magis subulati.

Mystaces albi; nigris tamen intermixtis capillis.

Magnus horum animalium numerus invenitur in variis Coloniae planitiebus; unde nomen *Vlakte-Haas* ab incolis acceperunt.

Species L. SAXATILIS.

F. CUVIER *in Dict. des Sc. Nat.* XXVI, p. 309.
GEOFFR. *in Dict. Class.* IX, *p.* 382.

Cano-rufus, infrà albicans, collo suprà nuchâque rufo-fulvus: auriculis postice rufescentibus, apice nigro-fusco, digitis subtus saturate badiis, caudâ supra nigro-fuscâ, subtus albâ.

Degunt in locis montosis.

Species L. ARENARIUS.

ISID. GEOFFR. *in Dict. Class. l. l.*

Suprà cano-cinereus, variegatus: artubus, gulâ, lateribus, regione ophthalmicâ apiceque rostri rufis; capite subtus albo-rufescente; gastreo albo; caudâ supra nigrâ, subtus albâ.

In locis sabulosis Promontorii BONAE SPEI. (1)

EDENTATA.

EDENDATA GENUINA.

Genus ORYCTEROPUS. GEOFFR.

MYRMECOPHAGA. PALL., ALII.

Species O. CAPENSIS.

DESMAR. *Mamm.* p. 372, 589.
F. CUVIER *in Dict des Sc. Nat.* XXXVI, p. 511. c. Fig.
M. Capensis, THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 301.
Aard-Varken (*Col.*)

Hoc animal, quod toto suo habitu et structurâ ab omnibus speciebus, de quibus aut loquebamur, aut deinceps locuturi sumus, prorsus differt, summo jure typus novi generis declaratum fuit.

(1) An revera distincta sit species, rogat fortasse quis? Affirmare nequeo. Equidem enim eam comparare non potui.

Accedit prope ad MYRMECOPHAGAS, atque eodem fere modo nutritur; quamobrem etiam antiquiores rerum Naturalium Scriptores ipsum MYRMECOPHAGIS annumerare solebant. (1)

Dentes Molares, quorum maxilla superior sola septem, inferior autem sex continet, sunt valde singulares, atque hoc loco *sui generis* merito dicendi. (2)

Corpus crassum atque obesum, aliquam quidem similitudinem offert cum illo suis: est autem maximâ parte pilis brevibus, levigatis obtectum; qui badii sunt coloris.

In margine pedum anticorum extrorsum verso, et in posteriore corporis parte hi pili sunt multo longiores ac fuliginosi; in lateribus autem pedum posticorum habent iidem pili longitudinem maximam (3)

In capite, corporis lateribus ac caudâ color est multo dilutior, magisque in luteum transit.

Cauda teres, habensque longitudinem mediocrem, est robusta, ad basin crassissima; apicem versus sensim decrescit: solet autem haec, uti et caput, pilis laevibus tegi.

Pedes valde robustis, latisque unguibus fossoriis muniuntur, imprimis antici; quorum unguis secundus ceteros longitudine superat. Exstant autem hi in pedibus anterioribus quatuor, in posterioribus quinque numero.

Aures longissimae, acuminatae, infundibiliformes, conveniunt tam colore, quam perspicuitate, ut plurimum, cum chartâ Pergamenâ; ceterum nullis pilis teguntur.

Mensurae.

Ab apice nasi usque ad caudae basin	0,90.
Caudae	0,58.
Capitis	0,31.
Aurium	0,18.
Pedum anticorum	0,26.
» posticorum	0,37.
Unguis secundus in pede anteriore	0,065.

(1) Conf. F. CUVIER *Des Dents Mamm.*

(2) GRIFFITH *The Animal Kingdam*, errat, huic animali molas $^{6-6}/_{6-6}$ tribuens.

Descriptio ejusdem simili modo est minus accurata. Contrarium demum eorum, quae de unguibus tradit, adsumi debet.

Ossa tarsi ac metatarsi exhibent magnam analogiam cum iis PACHYDERMATUM.

(3) Pili hi longiores, in adultioribus minus accurate videntur, atque aetate provectâ penitus evanescunt.

Videntur haec animalia per omnem Coloniam esse sparsa, adeo ut paucis tantum milliaribus a Metropoli absint. Interdiu tamen raro occurrunt; sed degunt tunc temporis in speluncis subterraneis; quas sibi effodiunt.

Genus **MANIS.** LINN.

Nova Species. Conf. Tab. III, Fig. 1 et 2. (cran.)

M. TEMMINCKII.

Nova species generis MANIS, quam Historiae Naturalis cultores studio haud satis laudando Doct. HORSTOKII debent, absque dubio memoratu dignissima, novum idque insigne ad horum animalium rationem cognoscendam suppeditat incrementum.

Unum modo specimen ad nos ex interioribus Coloniae partibus pervenit; dum ex investigatione adeo serâ aut hoc animal minime esse frequens, aut valde procul a Metropoli degere, conjicere liceat.

At, quamquam dolendum est, ab incolis non nisi sceletum et particulas quasdam squamarum singularum fuisse repertas, potest tamen ex his partibus, plenissimo jure, nova species condi.

Magnitudine et habitu proxime accedit ad MANEM BRACHYURAM: caput vero brevissimum, magnaeque squamae primâ fronte differentiam quamdam hîc indicant.

Constructio sceleti robustior, nec non cauda nodosa crassaque omnem ansam tollit ejus cum MANI MACROURA et cum MANE JAVANICA confundendae.

Cranium, etiamsi modo obiter comparatum, magnam discrepantiam docet: est enim semper proportione tertiâ parte brevius, quam illud reliquarum specierum. Provenit vero id, uti luce clarius patet, ex partibus anterioribus cranii. — Si autem magna illa cranii latitudo, notatu dignissima, excipiatur, offerunt ossa parietalia ac temporalia, revera hîc nihil singulare. Ossa frontalia e contrario, mediâ parte sunt valde conversa; sed postice, ubi ultimum marginem orbitae efficiunt, eadem sunt latissima. Margo anticus, qui cum narium ossibus jungitur, oblique extror-

sum procurrit. Ultima haecce proprietas debet tamen magis narium ossibus attribui; quae imprimis suâ magnitudine, latitudine ac singulari brevitate excellunt. Unum quoque eorum in infimâ postici marginis parte desinit, in angulum deorsum porrectum; quocirca necessarium est, ut frontalium ac maxillarium circuitus, tantum imminuatur, quantum illa sese extendunt.

Parte anticâ sunt ossa narium, quemadmodum in reliquis speciebus, excisa; margo lateralis tamen, qui ea cum ossibus intermaxillaribus copulat, brevior latiorque est, quam vulgo. Inde latera ossium intermaxillarium lineâ fere perpendiculari, parum modo revergentia, assurgunt; ita ut pars antica in breve rostrum abeat.

Apparent ita ossa maxillaria per omnes, quas diximus, conditiones constricta, proportione valde pusilla: sed propter majorem anticae partis in capite altitudinem, etiam pro mensurâ latiora.

Hinc adquirit processus Zygomaticus spatium, ut cum brevi ac crassâ basi prodeat: desinit tamen mox in figuram obtusam, conicae altitudinis; processum oppositum suum latum, qui ei ex osse temporali obvius est, non attingens.

Processus mastoïdeus minus, at e contrario cavitas tympani magis evoluta sunt, quam illa ceterarum specierum. Fieri haud potest, quin hae modificationes aliquid efficiant ratione partium pronarum cranii. Intervallum inter choanas atque ossa intermaxillaria aequaliter abbreviatum est.

Stria rudis, quae, uti margo evolutus, singulas maxillas parte pronâ per totam longitudinem percurrit, hîc magis est flexa: quare spatium, quo palatum efficitur, latius apparet; ut ita sine dubio absentia dentium compensetur.

Maxilla inferior formâ est eâdem, atque in reliquis congeneribus. Dimensio tamen secundum capitis formam modificatur; quocirca est multo brevior, latior ac rectior. Processus coronoideus perbrevis sursum procurrit.

Foramina maxillaria, praecipue anticum, sub formâ striae extensae ac profundae manifeste conspiciuntur.

Septum osseum, quod cerebrum a cerebello disjungit, multo angustius, adeoque longe majus spatium conjunctionis cerebro utrique praebet.

Cauda est mediocris, crassissima latissimaque; corpus compressum, collum ac digiti perbrevia.

Septem colli vertebrae sunt perparvo corpore: hinc cernitur collum tertiâ parte brevius, quam in MANI JAVANICA. Breves praecipue sunt processus spinosi.

Corpora quoque vertebrarum dorsi sunt angustissima; processus spinosi anteriorum valde retrorsum tendunt. Memorabile tamen videtur, eas hoc loco tantum duodecim numero esse inventas. (1) Cum numero vertebrarum, uti facile intelligitur, omnino convenit numerus costarum. Hae sunt multo latiores, sed, praesertim ad basin, breviores, magisque introrsum flexae.

Quinque lumborum vertebrae nihil singulare exhibent; at ipsorum corpora sunt angustiora; processus transversi robustiores, minusque flexi, quam in MANI JAVANICA.

Os sacrum constat vertebris tribus (in MANI JAVANICA quatuor); quae in animali Capensi multo robustiores sunt.

Tubera processus obliqui, quae in his animalibus proprii processus haberi debent, hîc concreta sunt et quasi ponticulum efficiunt supra foramina sacralia. In MANI JAVANICA vero elongata sursum tendunt.

Pelvis latior, sed brevior quam in JAVANICA; adprime robusta est superior ossis Ilii pars, cujus crista validissima exstat.

Os pubis tenerrimum est; unde pelvis deorsum acutior, extensior atque angustior evadit: foramen obturatorium est perparvum.

Cauda continet vertebras viginti et unam (in MANI JAVANICA sunt viginti septem); quae ad caudae basin minimae, sed apicem versus, uti jam e parvo numero elucet, non tam leni gradatione decrescunt: corpora vertebrarum robusta; at processus transversi latissimi; obliqui magis erecti. Ossa propria in inferiore caudae parte habent figuram notae numeralis V: breviora interim, at latiora, sunt quam in MANI JAVANICA.

Extremitates apparent perrobustae; imprimis tamen excellit suâ brevitate antibrachium.

Scapula est lata; margo posticus concavus, anticus autem convexus. Incisura semilunaris minus conspicitur. Processus coracoidei nullum vestigium apparet.

(1) In M. JAVANICA quindecim exstant.

Antibrachium, quod in MANI JAVANICA ad partem interiorem cubiti est perforatum, in hac specie integrum est; cernitur tantum hîc parva incisura.

Calcaneus crassus ac deformis, admodum in oculos cadit; quippe cujus tuber postremum valde sursum tendit. Item ossa metatarsi ac praecipue phalangum.

Pedes quinque unguibus sunt instructi; illi pedum posticorum breves sunt; anticorum vero cum iis MANIS BRACHYURAE conveniunt. Qui medius est, superat magnitudine ceteros. Latus utrumque versus, eâdem ratione, atque in reliquis speciebus, subito eorum magnitudo decrescit.

Squamae magnitudine illas MANIS BRACHYURAE valde praecellunt; cui inter species cognitas hae quidem sunt maximae. Quod ad earum structuram pertinet, conveniunt cum reliquis speciebus; ipsarum tamen formam accurate definire, perdifficile foret. Specimen, quod ad nos pervenit, diu humi protractum videtur: omnes enim ejus squamae sunt magis minusve detritae, atque in margine detrusae.

Mensurae Sceleti.

Ab apice rostri usque ad primam vertebram	caudae	0,48.
	Caudae	0,395.
Latitudo	Caudae ad basin	0,085.
Longitudo	Capitis	0,09.
	Humeri	0,07.
	Ulnae . . . , .	0,06.
Ossis	Femoris	0,10.
	Tibiae	0,08.

Ratio vivendi hujus animalis me latet. Verosimiliter tamen non differt ab eâ reliquarum specierum. E regionibus, ultra *Lattakou* sitis, allatum est; at suum nunc inter rariora obtinet locum, in splendidissimo Museo *Regio* hujus urbis.

PACHYDERMATA.

PROBOSCIDEA.

Genus ELEPHAS. LINN.

Species E. AFRICANUS.

CUV. *in Ann. du Mus.* VIII, p. 120. seqq. c. Fig.
Idem, Ossem. Foss. I, p. 50 et 198. Tab. 9. Fig. 3. cet.
Africanischer Elephant, GOETHE et D'ALTON, *in Nov. Act. Cur.* XII, 1. Tab. 35. (cran.)

Hujus tam universe cogniti animalis, amplâ enumeratione notas characteristicas indicare, non est hujus loci. Est autem omnium, quae exstant animalium quadrupedum, ELEPHAS maximus: — sufficiat jam observasse, caput in ELEPHANTO AFRICANO multum rotundius; frontem convexam; aures extensiores ac figurae magis orbicularis; proboscidem in utroque sexu longe majorem, quemadmodum et dentes primores, quam in INDICIS reperiri.

Dentium molarium coronae offerunt tamen hîc majorem differentiam; etenim ELEPHAS AFRICANUS exhibet eas manifestis rhombis distinctas.

Ceterum adest haec rudis moles, inde a *Senegali* usque ad verticem Meridionalem Africae, continuo.

PACHYDERMATA GENUINA.

Genus HIPPOPOTAMUS. LINN.

Species H. AMPHIBIUS.

Ποτάμιος ἵππος ARISTOT. *Hist. Anim.* II, 7. N°. 29.
Hippopotamus, PLIN. *Hist. Nat.* VIII, 25. seq.
CUV. *sur l'Hippopotame et son Osteologie, in Ann. du Mus.* IV. p. 299. cet.

Ingentes hi fluviorum habitatores in Africâ jam satis innotuerunt; unde minime videtur necessarium, eorum hoc loco amplam proferre descriptionem.

Singularis magnitudo ac moles corporis; pedes breviores, qui quatuor singuli sunt fragrantes; caput mediocriter magnum, in quo, pro ratâ corporis parte, perparvi oculi conspiciuntur; item auriculae pusillae prorsus prohibent, ne in agnoscendo hocce animali quaedam confusio existat. Cauda brevis, in apice setis haud longis, quemadmodum et rostrum, ac superior aurium margo occupatur; per reliquam corporis partem illae modo parcae observantur.

Haec animalia antea degebant quoque in fluviis Septentrionalibus Africae; at in illis non amplius apparent. In *Senegali* (1) tantum nonnulli HIPPOPOTAMI offenduntur. — In Promontorio Africae Meridionali, uti videtur, sunt frequentiores, atque adeo prope moenia Metropolis in flumine, quod apud incolas *Berg-rivier* audit; uti et in fluviis magis dissitis ad oram Occidentalem, iidem exstant.

Genus SUS. LINN.

Species S. LARVATUS.

F. CUV. *Du Sanglier a Musque* cet. *in Mém. du Mus.* VIII, p. 447, 422.
Sus Africanus, SCHREB. *Saügth.*, Tab. 327. (caput).
THUNB. *in Mém. de l'Acad. dc Petersb.* III, p. 320.
S. DANIELS, *African Scenery.* Tab. 22.

Magnitudine aequat omnino PHACOCHERUM AETHIOPICUM. Corpus enim hujus Suis maximâ parte, occupatur longis rigidisque setis; quae in ventre et in parte pedum interiore sunt breviores: in iis, qui ultimo loco dicti sunt, adeo raro hae cernuntur. Aures sunt majores, acuminatae, cum illis Porci vulgaris proxime convenientes. Earum margo longis fusco-nigris setis instructus est, quae ad apicem quamdam speciem penicilli efficiunt. Capitis circuitus gaudet sublute-albis capillis; forma multo coäctior est; at in partibus pos-

(1) DESMAUL *Determination de Espèces vivantes d'Hippopotames*, *in Journ. de Physiol.* V, p. 354. Scriptor idem perhibet, hunc, quod attinet ad sceletum, reverâ ab HIPPOPOTAMO Africae Australis differre.

ticis aliquanto latior. Ceterum similis videtur illi Suis vulgaris. Insigne characteristicum tamen observatur hic; scilicet duae excrescentiae nudae: quae prope se invicem in mediâ parte spatii, quod inter rostrum atque oculos est, positae sunt.

Dentes canini tam in maxillâ inferiore, quam superiore externè conspiciuntur, et sursum versus curvati sunt; iis tamen non singularis est magnitudo.

Setae sunt in dorso longissimae, ac differunt colore tantum ab illis capitis; nigris intermixtis. Ad corporis latera observatur mixtura coloris rubri et nigro-brunnei; qui pedes versus saturatior evadit.

Cauda, uti in plerisque locum habet, ad apicem nigro penicillo instruitur.

Color universe videtur quibusdam aberrationibus obnoxius, et tunc plerumque ad formam fusciorem vergere.

Si haec insignia, quae diximus, rite teneantur, non dubium est, quin facile hoc animal internoscatur.

Denique sedes ipsius sunt regiones sylvestres Coloniae; videtur tamen magis in partibus Orientalibus inveniri.

Genus PHACOCHERUS. FR. CUV.

Species PH. AETHIOPICUS.

FR. CUV. *Sur les Phacochaeres* in *Mém. du Mus.* VIII, p. 447. Tab. 23. Fig. *a*, *b*. (cran.)
Aper Aethiopicus, PALL. *Misc.* p. 16. Tab. 2. Spec. II. p. 3. T. 1.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 32.

Hoc animal, cujus nobis PALLAS in Opere citato, accuratam, qualis ejus erat consuetudo, dedit descriptionem, maximi est momenti.

Singularis capitis forma et dentium longitudo est: facile ergo hinc efficitur, ut a proxime antecedentibus distinguatur.

Mediocris quum universe sit magnitudinis, apparet corpus paululo esse coärctius, quam illud SUUM LARVATORUM, excelsiusque pedibus anticis.

Caput supra frontem depressam latum, habet magnitudinem enormem, ac formam admirabilem. Rostrum est maximum, latum et inferius versus spectans.

Dentes canini maxillae superioris atque inferioris singularem longitudinem habent, curvati, et sursum tendentes: ii tamen maxillae inferioris multo breviores sunt.

Oculi parvi, proximeque auribus collocati: sub quovis sulco lacrymali cernitur lobus Zygomaticus magnae, rigidae ac compressae formae; dum simul sit orbicularis et directionis horizontalis, at minus moveri queat: unde haud parum singularis capitis figura efficitur.

Maxima corporis pars parce crinibus longis, densisque tegitur, obscuro-fusci coloris; vertex capitis et nucha, ad medium dorsum usque, obteguntur setis enormibus, nigro-fuscae speciei; in vertice autem sunt hi radiatim divergentes. Auriculae reclinatae sunt, ad partem inferiorem marginis exterioris oblique truncatae: margine toto pilis setaceis albis instructo.

Cauda subnuda ad apicem floccosa, setis nigro-brunneis instructa.

Animal, de quo hoc loco agebamus, moratur in regionibus sylvestribus, imprimis tamen partium interiorum Coloniae.

Excellit agilitate, non parum ob arma sua robusta timendum.[1]

Genus **RHINOCEROS.** LINN.

Species **R. AFRICANUS.**

R. Bicornis, DESMAR. *Mamm.* p. 400, 628. et *Ann. du Mus.* III, Tab. 4. Fig. 2, 5.

P. CAMPER, *De Cranio Rhinocerotis Africani*, cet. *in Act. Acad. Petrop.* 1777. 2. p. 103.

Rh. Bicorne du Cap. CUV. *Ossem. Foss.* II, p. 29—33. Tab. 18. Fig. 1, 3.

RHINOCEROS AFRICANUS differt potissimum a SUMATRENSI, qui ei

(1) Figura, quam exhibuit GRASSITH, est omnino nullius momenti: dentes v. g. plane diverse sunt collocati.

proxime affinis est, dentibus incisoribus, haud externè apparentibus; [1] item propter universam ossium intermaxillarium absentiam.

Quod ad numerum cornuum spectat, RHINOCEROS AFRICANUS nihil discriminis in eo offert; sunt haec tamen majora: anticum retro curvatur; dum alterum, conicam formam habens, rectum sit.

Nullae omnino rugae in pelle observantur; quod omnibus reliquis speciminibus, plus aut minus proprium est: in margine aurium et caudae apice reperiuntur solummodo aliquot setae; quae sunt breves, rigidae ac nigri coloris.

Labium superius eminens, non parum idoneum est ad dentium incisorum absentiam supplendam. Aures atque oculi sunt pro totius animalis mole valde parva. Cauda brevis, ad basin rotunda, in apice oblique compressa.

Magnitudine videtur exteros superare.

Incolit maximam partem Africae.

Species RH. SIMUS.

BURCHELL. *Sur une nouvelle Espèce de Rhinocéros*, *Journ. de Phys.* LXXXV. p. 163. c. Fig. long.
Rh. du Burchell, DESMAR. *Mamm.* p. 401.

Cornibus duobus; cute plicis subnullis; rostro simotruncato; RHINOCEROTE BICORNI longe major.

Quonam jure hic pro distinctâ specie est habendus?

Si, quod mihi videtur, dicere liceat; non est, nisi specimen adultum.

---

(1) Conf. Clar. G. VROLIK, in Museo, suprà laudato, quod inscribitur: *Bydragen tot de Natuurk. Wetenschapp.* Tom. V, Part. III. p. 377. *Amst. 1830.*

Genus HYRAX. HERM.

Species H. CAPENSIS. SCHREB.

SCHREB. *Säugth.* p. 20, 1. Tab. 240.
Cavia Capensis, PALLAS *Miscell.* p. 34. Tab. 3. *Specil.* II, p. 22. Tab. 2.
Daman. CUVIER, *Déscription Ostéologique* et *Comparat.* in *Ann. du Mus.* III, p. 171. Tab. 19, 20.
Idem, *Ossem. Foss.* II, p. 127—141. Tab. 1, 2, 3. (scelet.)
Klip-Das (*Col.*)

Primus, qui hujus animalis sub nomine CAVIAE CAPENSIS quamdam exhibuit descriptionem, fuit profecto KOLBE: quare diu, atque adeo a BUFFONE aliisque, hoc nomine indicari solebat: HERMAA illud singulare genus habens, animalibus rodentibus, uti et praecedentes fecerant Naturae perscrutatores, accensuit.

Illustrissimus CUVIER tamen in Dissertatione eximiâ, suprà laudatâ, nobiscum communicavit accuratissimam ipsius sceleti descriptionem, et, propter arctam suam cognationem, dictum animal sectioni PACHYDERMATUM adjunxit.

Corpus mediocriter est extensum, pedibus humile et maximâ parte pilis lanatis obtectum.

Caput, collum ac corporis latera sunt coloris griseo-amethystini.

Dorsum magis brunnei coloris; qui inferius ad ventrem subalbus evadit: pili longiores et nigri, variis locis e pilis lanatis prodeunt. Pedes tamen occupantur brevibus ac plane incumbentibus pilis.

Oculi sunt mediocres ac validissimo periophthalmio instructi.

Degunt haec animalia solummodo in regionibus montanis ac saxosis Coloniae; adeo in monte *Tabulari* (Tafelberg) magno numero occurrunt: quo loco in rupium rimis antrisque sese occultant.

Species H. ARBOREUS.

SMITH *in Linn. Transact.* XVII, 17, p. 468.
Boom-das (*Col.*)

Vellere suprà e rufescenti, fusco nigroque mixto, subtus maculâque dorsi medii albis (SMITH l. l.).

Idem indicat in descriptione suâ, etiam paucis verbis, differentiam aliquam, ratione dentium: ita ut eorum magnitudo illos praecedentium omnino superet.

Fertur hoc animal imprimis in cavis arboribus commorari.

SOLIPEDIA.

Genus EQUUS. LINN.

Species E. ZEBRA.

LINN. *Syst. Nat.* Edit. 12, I. p. 101, 3.
Asinus Zebra, GRAY *in Zool. Journ.* II. Junii 1824. p. 241.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 319.
E. Montanus, BURCHELL *Trav. in S. Afr.*
Zebra (*Col.*)

Fasciae albae nigraeque, quibus totum animal hoc exornatur, sunt maxime nota characteristica.

Eaedem, ita dictae alternantes, differunt formâ, magnitudine, ac directione inter se. In anticâ capitis parte longitudinaliter dispositae, illic perangustae magno numero adsunt, atque exhibent colorem luteo-brunneum; ad capitis autem latera plane formam triangularem offerentes. — Apex aurium est albus; extrinsecus occupatur annulis promiscuis transversis; qui oblique per dorsum ac corporis latera sese extendentes, latitudine accrescunt. In posticâ femorum parte sunt hi annuli latissimi, et arcuati: existunt vero tres aut quatuor numero. Jubae erectae habent mediocrem longitudinem; pilis nigris albisque alternantibus. Linea dorsalis, quae in duabus reliquis speciebus adeo manifesta apparet, hîc indistincta; cauda asinina, albis nigrisque pilis instruitur. In pronâ ventris parte observatur linea subnigra dentata; quae multo latior est, quam in utrisque sequentibus.

Pedes fasciis obliquis angustioribus ad ungulam usque instructi.

Degunt in Africâ, atque in eâ, uti videtur, inde ab Abyssiniâ usque ad promontorium ejus Meridionale sese extendit.

Species E. QUAGGA.

LINN. *Syst. Nat.* Edit. GMEL. I, p. 213. 4.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 319.
Quagga, BUFFON, *Hist. Nat. Suppl.* III, Tab. 4.
Asinus Quagga, GRAY, *Zool. Journ.* II. Junii 1824.
Quagga (*Col.*).

Minor quam ZEBRA: aures sunt breviores; caput omnisque habitus magis cum illo EQUI convenit.

Color albus, qualem in praecedente specie reperimus, hoc loco non cernitur. Fundus velleris hîc magis isabellinus est; praesertim in anticâ corporis parte: ita vero, ut retro-versus in parte femorum idem color levior evadat; dum venter pedesque eum exalbidum offerant.

Fasciae, quae huic colori sunt impositae, atque unice caput, cervicem, corporisque anticam partem occupant, sunt multo latiores, paucioresque numero; colorem referentes fuscum: retro-versus isabellinae, dum sibi succedant, obsoletiores; at tandem penitus extinguuntur.

Linea dorsalis hîc imprimis est lata, coloris sub-brunneo nigri, atque accurate margine angusto isabellinae speciei includitur.

Apex aurium extrinsecus, uti in praecedente specimine, gaudet albo colore.

Juba hîc brevior, quam in reliquis; dum pauciores pili albi intermisceantur. In ventre observatur etiam stria obscura; quae tamen multo angustior est, quam in reliquis. Supra ungulas in posticâ pedum parte, maculam pilorum brunneorum observare licet.

Species E. BURCHELLII.

Asinus Burchellii, GRAY in *Zool. Journ.* N°. II. Junii 1824. p. 241.
E. Zebra, BURCH. *Trav. in S. Afr.*
LESS. *Mamm.* p. 346, 920.
Zebre Mâle, FR. CUV. *Menag. du Mus.* c. Fig. bon.
Daauw (*Hott.*)

BURCHELL primus fuit, qui nos in descriptione itineris sui per

Meridionalem Africae partem l. l., de hac specie accuratius edocebat.

Juba, fasciis nigricantibus albisque alternis distincta, tamen multo longior ac copiosior, quam in duabus prioribus offenditur.

Fundus velleris albus, caput, dorsum usque ad anticam femorum partem fasciata sunt. Striae in anteriore parte capitis frequentes, angustae, colore sub-brunneo, sensim sese conjungentes; ita ut nasum badii coloris tandem efficiant. Fasciae transversae, alternantes; quae in cervice per dorsum sese extendunt, nigrum ac fuscum colorem exhibent. Illae prioris speciei sunt latiores: quae posteriore loco significabantur, occupant interdum fere totum intervallum, quod inter nigri coloris fascias sese offert, et relinquunt modo angustum alborum pilorum marginem: sunt tamen hi irregulares ac variis in locis obsoletiores; imprimis in speciebus minus adultis.

Linea dorsalis angusta est, alboque marginata; posteriora versus sese dilatans, tandem in caudam desinit: quae asinina albis nigrisque pilis ornatur.

Extremitates venterque sunt, si lineam angustam brunneo-nigram excipias, albi coloris. Magnitudo major esse videtur, quam illa ZEBRAE.

BURCHELL contendit, hoc animal in planis modo Coloniae campis reperiri: ZEBRAM contra in regionibus montanis. (1) Degit gregatim, ac nunquam, uti videtur, cum duabus reliquis, quae ei adeo affines sunt, speciebus sese conjungit.

(1) Haec demum est causa, quare nostrae ZEBRAE nomen EQUI MONTANI idem Itinerator tribuit: credit quoque (quod affirmavit etiam GRAY l. l.), se aliquam differentiam reperisse in formandis ungulis. In ZEBRA scilicet hae multo angustiores forent.

RUMINANTIA.

Genus CAMELOPARDALIS. GMEL.

Species C. GIRAFFA.

PLIN. *Hist. Nat.* VIII, C. 27.
Καμηλοπάρδαλις, OPPIAN. *Cyneg.* III, 461.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 311.
F. CUVIER in *Dict. des Sc. Nat.* XVIII, p. 555.
CRETZSCHM. in *Rupp. Zool. Atl.* p. 23. Tab. 8. Fig.
Anim. Tab. 9. Fig. (cran.)

Si enumerare velim Scriptores, qui nobis de hoc animali, non minus memorabili, quam universe cognito, quaedam memoraverunt, non parum loci eo insumatur. Quandoquidem autem hactenus omnia supervacua conati sumus evitare, eodem rursus progrediemur modo; tantum maxime memorabilem observationem Doct. CRETZSCHMARII hîc in medium proferentes.

Veri generis characteres, quibus solis hoc animal ab omnibus ruminantibus, quae innotuerunt, bestiis distinguitur, praesertim quoque in formatione cornuum siti sunt; quod praecedentes observatores effugerat.

Colore ac picturâ femella minime distinguitur a mare; illa tamen semper tantum duo habet cornua; hic vero tria: quorum tertium ante duo reliqua collocatum, eo apparet loco, quo ossa frontalia aliquam efficiunt elevationem, et per suturam frontalem conjunguntur. Cornu hoc, habens longitudinem fere trium pollicum, utrique ossi frontali per suturam squamosam adnectitur.

Cetera duo cornua in utroque sexu similis suturae ope cum occipitis osse, nec non cum ossibus frontalibus junguntur; adeoque per hanc suturam plane a se invicem discreta sunt: quare pro singularibus ossibus haberi debent. (1)

Si quis ampliorem, eandemque accuratiorem descriptionem harum partium petit, consulat suprà memoratum CRETZSCHMAREM, loco laudato.

---

(1) Omnis massa ac Formatio harum eminentiarum, ab aliis massis osseis minime differt. CRETZSCHM. l. l. proinde ea dici vult, *cornuum ossa* — (Hornknocken).

Haec ita dicta cornua obteguntur pelle; quae, quemadmodum et caput, colorem leviter brunneum exhibent.

Illa autem ad apicem sphaerae instar fere sunt rotundata, atque in adultis animalibus cernuntur setis nigris occupata.

Fundus velleris universe est isabellinus, discolor; in quibusdam tamen locis offenditur color saturatior. In illo reperiuntur fuscae ac leviter brunneae maculae, variam figuram exhibentes; quae ad caput fiunt minores. Juba procurrit inde a vertice usque ad medium dorsum. Cauda tenuis in pilorum longiorum nigrorumque penicillum exit.

Ceterum incolit *Nubiam*, regnum *Kordofanum*, et complures alias regiones Africae; etiam, quae Meridiem spectant.

Genus ANTILOPE.

AEGOCERUS. (1)

Cornua maxima in sexu utroque, acuminata, simpliciter reflexa, annulata, super orbitis locata. Rhinarium subdistinctum; sinus suborbitales porique inguinales nulli; cauda ad suffragines usque descendens. Juba reversa; macula alba ante oculos; gutture mandibulâ sub-barbata; mammae duae; statura magna; humeri uropygio altiores.

Species A. LEUCOPHAEA.

PALL. *Specil. Zool.* I, p. 6. XII, p. 12.
Idem, Miscell. Ph.
LICHT. in *Berl. Mag.* VI, p. 159.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 314.
Tzeiran, BUFF. *Hist. Nat. Suppl.* VI, p. 168. Tab. 20.
HAMILT. SMITH in *Griff. Anim. Kingd.* V, 817, 16.
Blaauw-bok (*Col.*)

Haec species, quam recentiores Itineratores, frustra investigare conabantur, hodie plane videtur extincta.

(1) Sectiones seu subdivisiones a Cl. H. SMITHIO sunt propositae.

Insigne praesertim memorabile constituunt in hac specie cornua; quae duobus pedibus longiora, compressiuscula fere, haud divergentia, atque acinaciformia retrorsum vergunt, ad basin annulata: sunt vero hi annuli viginti aut triginta numero prope se invicem collocati; ita ut nullae striae observentur. Aures longae atque acuminatae, grisei coloris in margine postico; intus vero albae speciei. Sinciput fusco-griseum; quem colorem etiam margo anticus extremitatum exhibet. Juba brevis per cervicem, albis ad caput sursum reversis pilis constans; venter ac pars pedum introrsum versa, sunt albi coloris: ejusdem speciei cernitur macula ante oculum utrumque; maxima corporis pars occupatur colore splendido ex argenteo, coeruleo canescente; qui tamen secundum quorumdam Itineratorum relationes post mortem minus lucidus evadit. Cauda floccosa nigris albisque pilis inter se mixtis obtegitur.

Altitudo fere quatuor pedum est.

Antea reperiebatur hoc animal in Dioëcesi, cui nomen est *Zwellendam.*

Species A. EQUINA.

DESMAR. *Mamm.* p. 476, 730.
GEOFFR. *Catal. du Mus.*
CUV. *Règne Animal.* Edit. II, Tom. I.
DESMAUL. *in Dict. Class.* VI, p. 446, 29. c. Fig. (caput.)
HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* V, 510, 3.

Prorsus magnitudine et formâ affinis est praecedenti; attamen e judicio naturam investigantium, tanquam leucophaea distincta, propriaque species existimanda est. Quandoquidem ipsum animal in naturâ conspicere nequibamus, illud hoc loco commemorare liceat, quod alii de eo retulerunt.

Cornua sunt robustissima, sed aliquanto breviora, valde recurvata; incipiunt propius basin, et per intervallum majus quam duorum pedum procurrunt, ad basin annulata: dum hi annuli magis juxta se invicem collocati sint, quam in praecedenti specie:

ab orbitis vero longius dimoventur. Aures longitudine majores quam novem pollicum, sunt pilis rudibus undulatis, relaxis, rufo alboque mistis. In inferiore gulae parte cernuntur hi pili longiores albae speciei, atque in adversam partem vergentes. Stria albis pilis constans per anteriorem oculorum angulum procurrit, e penicillo pilorum longorum formata: idem color albus ornat quoque orbitas. Macula in sincipite, oris ambitus ac rostrum, uti etiam venter exhibent speciem albam: reliqua pars maxillae atque externae aurium partes sunt coloris badii aut rubri. Juba autem in cervicali brevi reversa, alba.

Altitudo ad humeros fere quatuor pedum, quatuorque pollicum. Daniels hoc animal in jugis elevatis ad fontes *Gariep* inveniebat.

Species A. BARBATA.

Hamilt. smith apud *Griff. Anim. Kingd.* V, 813, 6.
Takhaize, daniels *Afric. Scen.* n. XXIV.
Truter et sommerville in *Geogr. Ephem.* 1807. p. 274.

Ut constet, num hanc revera propriam speciem credere oporteat, requiritur absque dubio accuratior adhuc illius consideratio. Auctore smithio l. l., sequentia de eâ constant.

Magnitudo adaequat A. equinam. Cornua arcuata, recurvata; minor hîc adest numerus annulorum et ad basin fere se invicem adtingunt. Barba menti promissa, jubaque in cervicali longo fluctuante obscura; corpore caeruleo, cineraceo rufove; cauda flocco nulla.

ORYX.

Cornua sexui utrique communia, horizontalia, longissima, gracilia, carinis priva, acuminata, nigra, annulis subspiraliter contortis per longitudinis dimidium infimae ornata; auriculae longae; sinus suborbitales parvi nullive; rhinarium ovillum; stria saturatius tincta per oculos ducta; juba cervicalis reversa; cauda

ad suffragines descendens, fasciculo pilorum longiorum terminata; scopae nullae; pori inguinales nulli; mammae duae; statura grandis; color in universum rufus vel vinaceo-cinereus, in fundo albo.

Species A. ORYX.

PALL. *Spec. Zool.* I, p. 14.
LINN. *Syst. Nat.* Ed. GMEL. I. p. 189, 14.
LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 155, 2.
THUNB. *in Mém. de l'Acad. de Petersb.* Tom. III, p. 313.
Pasan, BUFF. *Hist. Nat.* XII, p. 212, 272. Tab. 33. Fig. 3: *Suppl.* VI, p. 15, 7. Tab. 17.
HAMILT. SMITH in *Griff. Anim. Kingd.* V, 814, 7.
Gems-bok (*Col.*)

Haec species revera, pro typo hujus sectionis seu subdivisionis, a Clar. H. SMITHIO propositae, est habenda, et jam a variis auctoribus, quam accuratissime describebatur: pauca hinc modo sunt dicenda.

Cornua in specimine adulto masculino, fere longitudine trium pedum; in foeminâ tamen ea minora sunt; divergunt leviter recurvata, annulis 28—33 instructa: macula nigra, quae in striam frontalem est producta, circumdat basin cornuum; altera per oculos ducta, usque ad angulum oris procurrit et conjungitur cum tertiâ, quae nasum circumdat: reliqua pars capitis, uti et aures albi coloris; corpus pro maximâ parte gaudet specie vinaceo-testaceâ; in pectore, fronte, ventre, artubusque offenditur albus color; taenia a nucha usque ad caudae basin protensa est; fascia lata cubiti transversa, secus laterum longitudinem procurrit, et in plagam amplam in femoribus supra poplites terminatur: macula quoque infra crurum flexuras nigra conspicitur.

Solitaria, aut cum gregibus minoribus in tractu montium nivariorum (*Sneeuwbergen*) haec species reperitur.

GAZELLA.

Cornua utriusque prope orbitas inserta, magis verticale reflexa, apicibus antrorsum versis, simulque extrorsum et denuo introrsum

flexa, hinc lyrata, nigra, annulata ac striata. Sinus lacrymales arcti; pori inguinales; nasus ovillus; scopae fasciaeque laterum saturate coloratae in plerisque; oculi maximi, obscuri; cauda brevis floccosa; mammae duae vel quatuor. Degunt gregariae in campis.

Species A. EUCHORE.

FORST. in *Itiner.*
SPARM. in *Act. Holm.* 1780. p. 275.
A. Pygarga, BLUMB. *Handb.* 10. p. 119.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 316.
Pronkbock, VOSMAER, *Beschr. eener nieuwe soort van kleine Hartebok.* Amst. 1784. c. not.
Gazelle à bourse sur le dos ALLAM. BUFF. *Hist. Nat. Suppl.* IV. p. 142. Tab. 60.
Spring-bok, Pronk-bok (*Col.*) Tsebé (*Caffror.*).

Quandoquidem haec species e cunctis, quae in Africa Meridionali extant, maxime cum PYGARGA convenit; non mirum est, eam quoque a praecedentibus naturae investigatoribus, cum hac esse confusam. Cornua sunt robusta; tres quartae eorum partes annulatae, ita ut hi annuli plane juxta se invicem collocentur, adeoque numerum vicenarium egrediantur. Eadem in basi fuliginosâ posita, in mediâ parte extrorsum versa, ad apicem contrà introrsum flectuntur; aut, si malis, revera sunt lyrata. Color in corpore pro maximâ parte est dilute fuscus; in lateribus procurrit fascia longitudinalis lata, obscura; quâ color albus, qui in ventre est, a reliquis separatur. Caput, excepta stria fusca, quae per oculum ad oris angulum sese extendit, album est; uti et colli prona pars: latus internum femorum candidum. In medio dorso exoritur sub saltu erectili, stria alba, longis pilis constans; quae ad caudae basin usque procurrit: apex caudae ad partem superiorem, parcis nigri coloris pilis occupatur.

Degunt in planitiebus, ac plagis clivosis Coloniae: continuo tamen alimenti causâ commutant sedem; sese tunc haud raro, cum gregibus plus mille constantibus, ex uno ad alterum locum conferentes.

Species A. PYGARGA.

PALL. *Spec.* XII, p. 15, 10.
LINN. *Syst. Nat.* Ed. GMEL. I, p. 187, 10.
SPARRM. in *Act. Stockh.* 1780. 3, 4.
ZIMM. *Geogr. Gesch.* II, p. 119, 34.
HAMILT. SMITH, apud *Griff. Anim. Kingd.* V, 820, 13.
Bonte-bok, Bles-bok (*Col.*).

Cornua aliquatenus conveniunt cum iis praecedentis speciei; hîc tamen illa pulchra deëst forma lyrata, quae priorem adeo decorat. In maculâ subfusci coloris collocata, apparent praecipue robusta, atque in margine antico duodecim aut quatuordecim, magis a se invicem dissitos semi-annulos ostendunt: quorum intervallum est sulcatum. Ad basin convexa, in mediâ parte sensim concavantur.

Colores, in corpore sese invicem excipientes, videntur uti picti. Dorsum ac supera humerorum pars sunt coloris helvoli: hîc saturata purpureo fascia, quae corporis latera, marginem scapularum exteriorem, ac femora occupat, terminatur et a pure-albo ventre disjungitur.

Capitis latera, gula ac colli antica pars brunneo-rubra; inter cornua prodit stria, angusta alba; quae ad oculorum plagam procurrens, subito sese effundit et vultum occupat; ad nasi marginem usque tendens. (1)

Auriculae sunt longae atque acutae, extus rufescentes; dum margo interior pilis longioribus albis obtegatur.

Margo anterior et pars introrsum versa femorum, etiam pedum anticorum (maculâ purpureâ exceptâ) colorem album habent.

---

(1) Hic ejus albus color, tam in capite quam ad uropygium, observatur tantum in speciminibus adultis; differentia vero cornuum in toto hoc genere facile conspicitur. In opusculo, cui nomen est: *Zool. Journal* N°. XVII. Part. II. p. 2. descriptionem offendimus ANTILOPAE, tanquam novae; quae vocatur ANTILOPE PERSONATA: vitiose autem additur *Bompté-bok*, debebat esse *Bonte-bok*. Certum tamen affirmare possum, nihil aliud esse, nisi pullum nostrae PYGARGAE. Complures ejus species, adeo vivas conspexi; atque etiam nomen, a Colonis impositum, uti revera sese habet, illud satis jam indicat.
Descriptionem datam confeci e duobus adultis speciminibus, per me ex Africa Meridionali huc delatis; quaeque nunc Regii Musei, quod in hac urbe est, gazis accesserunt.

Eodem colore instructa cernitur macula orbicularis ad uropigium; quae ad mediam procurrit partem caudae, sed ad apicem pilis longissimis, iisdemque nigris, occupata est.

In margine antico extremitatum, imprimis interiorum observatur stria, fuscis pilis constans; quae inde ab ungulâ ad genu procurrit. Reperi autem nihil discriminis in utroque sexu.

Hae ANTILOPAE gregatim degunt: minime tamen tantus eorum simul conspicitur numerus; quantus praecedentis speciei. Circa autem *Latum Fluvium*, qui dicitur, (*Breede Rivier*) ac plagam, cui nomen est *Zwellendam* potissimum occurrunt; proinde magis Orientalem partem versus. In mediâ Africâ hoc animal non videtur adesse.

ANTILOPE.

Cornua solis in masculina, nec revera lyrata, infra cristam frontalem affixa, saepe subspiralia vel spiralia; sinus suborbitales ampli; pori inguinales; rhinarii loco spatium exiguum nudum; mammae duae; scopae plerisque.

Species A. MELAMPUS.

LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 167, 11.
Idem, Reizen II, p. 544. Tab. 4.
SCHREB. *Saügth.* p. 1224, 24. Tab. 274. c. Fig. LICHT.
DESMAR. *Mamm.* p. 456, 698.
Pallah, s. DANIELS *Afric. Scen.* n. 9.
H. SMITH in *Griff. Anim. Kingd.* IV, p. 98. Fig. cor.

Cl. LICHTENSTEINIUS primus fuit, qui hujus elegantissimae speciei descriptionem figuramque nobiscum communicavit.

Forma animali elegantissima gracilisque est; mares cornibus nigris, quae majore quam viginti pollicum longitudine gaudent, instructi sunt; adscendunt autem hae cornua oblique sursum extrorsumque; itaque collocata sunt, ut cum basi angulum obtusum forment. In parte superiore eadem sunt laevigata introrsum

flexa, ad basin usque per duas tertias longitudinis partes striata, annulisque scabris ruditer instructa: sunt autem hi annuli fere septendecim numero. Feminae, quae est sententia DANIELIS, his cornibus destitutae sunt.

Valde in artubus elevatur; collum longum. Auriculae fere longitudine septem pollicum gaudent, ad internam partem albae; apice vero nigro: idem color etiam exstat ad os; quo et labia sunt induta: maxima corporis pars gaudet colore fulvo; in dorso idem est fuscus; gastreum, cruraque alba; stria vero saturata infra orbitam conspicitur. In nonnullis speciminibus stria nigra duplicata colorem album ab illo, qui in superiore corporis parte locum habet, separat; raro tamen linea dorsalis saturata conspicitur. Cauda fere longitudine octo pollicum, albi coloris flocco destituitur.

Color pilorum in feminâ cum illo maris prorsus convenit; at praeter differentiam jam memoratam, duriusculae sunt, longiores.

Mas adultus ad humeros trium pedum, fere quinque pedes longus est.

Degunt in regionibus Caffrorum gregatim; numerum tamen septem aut octo non superant.

REDUNCA.

Cornua solis in mare, pone orbitas sita, nigra, reclinata, apicibus procurvis, inferne annulata, sursum laevia, brevia, gracilia; auriculae longae, apertae, ovales; sinus suborbitales imperfecti; rhinarium parvum pori inguinales; scopae nullae; cauda clunibus haud longior; vellus elongatum, undulatum; habitus in universum robustior; mammae quatuor.

Species A. ELEOTRAGUS.

LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 173, 24.
Idem, *Saügth.* Tab. 9. ♂. ♀.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.*, Tom. III, p. 314.
ALLAM. BUFF. *Suppl.* V, p. 34. Tab. 13, 14.
H. SMITH apud *Griff. Anim. Kingd.* IV, p. 237.
Riet-bok (*Col.*).

Species A. ISABELLINA.

AFZELIUS in *Nov. Act. Upsal.* VIII, p. 244.
LICHTENST. *Saügth.* Tab. X.
H. SMITH apud *Griff. Anim. Kingd.* Tom. IV, p. 240.
Riet-bok (*Col.*)

Jam ex investigatione ac descriptione Celeberrimi LICHTENSTEINII l. l., revera patet, A. ISABELLINAM, quae a variis scriptoribus pro distinctâ specie fuit habita, nihil aliud esse, nisi varietatem A. ELEOTRAGI. (1)

Differentia scilicet hîc maximâ parte, constat majore evolutione variarum corporis partium; quaeque praesertim in cornibus observatur: ita tamen, ut varietas locorum, in quibus degit haec species, in oculos incurrat: A. ISABELLINA enim locis sylvestribus, ELEOTRAGUS vero clivosis gaudet.

Illa, quae ISABELLINAE insigniebatur nomine, videtur magnitudine alteram antecellere; uti mox e mensuris, per Cl. LICHTENSTEINIUM institutis, patebit.

Cornua in genere pro mensurâ corporis non valde magna, sed robusta, ad basin approximata et rugosa, ad mediam usque partem annulis instruuntur; infra planum faciei recumbentia; ad apicem regulariter procurvata, nitent, laeviaque sunt.

Annuli tamen in ELEOTRAGO, ubi cornua minora sunt quam in ISABELLINA, exstant undecim numero; in illâ, quae ultimo loco dicebatur, sunt novem, scilicet in parte posticâ.

---

(1) Cl. HAMILTON SMITH videtur ejus esse sententiae, ut A. ISABELLINAM pro varietate A. FULVO-RUFULAE *Allamand.*, apud BUFF. habeat; quae ex ejus sententiâ censeri debet adulta A. REDUNCA, *Adanson.*

Valde mihi dubium videtur, num A. FULVO-RUFULA *Allam.*, etiam sub nomine A. LALANDII apud DESMOUL. aliosque descripta, species distincta sit: varia specimina, sub nomine *Roode Rhee-bok* (Col.), e patriâ meâ huc ad Regium Museum fuerunt delata; sed revera erant nihil aliud, nisi ELEOTRAGI minores natu.

In Museo Regio saepius memorato, specimen masculinum, non adultum, ELEOTRAGI exstat. In hoc cornua minus divergentia et valde antrorsum curvata sunt; ad basin approximata, quinque semi-annulis instructa: ubi cum descriptione A. FULVO-RUFULAE a Cl. H. SMITHIO datâ comparatur, maximâ parte convenit. Quomodo tamen hae species seu varietates reverâ sint accipiendae, affirmari nequit; nam observare decet series seu specimina in diversis aetatibus, uti mihi videtur; si recte specificam existentiam alicujus animalis, et praesertim ANTILOPARUM, determinare velis.

Differentia praeterea, quae in cornibus offenditur, haec est, ut in ELEOTRAGO ea minus divergentia sint, quam in ISABELLINA.

Mensurae. (1)

	ELEOTRAGUS.		ISABELLINA.	
Longitudo ab apice rostri usque ad basin caudae	4 Ped.	6 Poll.	5 Ped.	9 Poll.
Caudae . . .		9 »		10 »
Cornuum .		8 »	1 »	1 »
Distantia a basi usque ad Apicem . . .		6 »		10 »
Auricularum		6 »		7 »
Altitudo ad Humeros . .	2 »	6 »	3 »	

Pars superior corporis gaudet colore cinereo-canescente, ochraceo induto; unde in nonnullis speciminibus adultis color lacteo-luteolus formatur; macula nuda triangularis ante oculos observatur; collo rufescente; pili, quibus oculi circumdantur, albi; hic color etiam ventrem atque apicem caudae occupat. In genere vellus lanatum hirsutumque est; in gutture sunt pili longiores atque albidi coloris.

Degunt per paria in terrâ Caffrorum prope aquas, plantis palustribus vescentes. ELEOTRAGUS tamen, uti memoratum est, magis in locis clivosis occurrunt.

Species A. CAPREOLUS.

LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 147, 25.
Idem, Saügth. Tab. 8. ♂ et ♀.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 312.
AFZEL. in *Nov. Act. Upsal.* VII, p. 257, 262.
A. Villosa, BURCH. *Trav. in S. Afr.*
H. SMITH in *Griff. Anim. Kingd.* V, 835, 28.

Haec ANTILOPA, uti propria species, nobis demum innotuit per LICHTENSTEINIUM, Virum Eruditissimum.

Singularis longitudo colli, nec non cornua longa, tenuia, subulata potissimum hancce speciem insigniunt ita, ut facile inde ab omnibus reliquis speciebus dignoscatur. Cornua, prope oculos ad partem superiorem collocata, fere perpendiculariter sese habent;

(1) Secundum Cl. LICHTENSTEINIUM, l. l.

dum e media parte ad apicem usque, directione suâ antrorsum inflectantur; ad basin annulis fere tredecim instructa: parte superiore laevigata et acuminata sunt. Cornibus hujusmodi ornatur tantum maris caput.

Auriculae pariter suâ longitudine oculos in se convertunt, atque in occipite humillimo sunt collocatae: apex acuminatus albi coloris est; in posticâ regione griseus evadit.

Oculi magni sunt pilis albis circumdati. Sinus lacrymales, quamquam externe non valde manifesto observantur, magni sunt.

Pili sunt lanati, in dorso manifeste per colorem rubrum atque album annulati; nonnullis in locis tamen sunt iidem ad apicem nigri. In ventre longiore pili extant albi, et ad partem internam femorum, usque ad caudae apicem; quae cauda, quemadmodum et corpus, pilis lanatis est vestita; anticus margo extremitatum magis flavescit; ungulae nigrae, aliquatenus truncatae exstant.

Femella praeter insigne suprà memoratum, nullam differentiam exhibet.

Mas adultus, duobus pedibus et quinque pollicibus ad humeros altus est.

Videtur haec species per omnem Coloniam esse dispersa: delectatur tamen magis plagis clivosis; atque adeo raro in planis offenditur campis. Etiam in viciniâ Urbis Capensis, apud montes a *Tigride* dictas (*Tijger-bergen*) atque in collibus circumjacentibus haud raro conspicitur; ita tamen, ut non facile plures, quam octo aut decem numero, eodem tempore appareant.

Species A. SCOPARIA.

SCHREB. *Saügth.* p. 861.
A. Ourebi, SHAW, *Gén. Zool.* II, p. 320.
Ourebi, ALLAM. BUFF. *Hist. Nat. Suppl.* V, p. 33.
A. Scoparia, HAMILT. SMITH apud *Griff.* p. 12. *Anim. Kingd.* V, 836, 29.
LICHTENST. *Saügth.* Tab. XIII. ♂. ♀.
Ourebi, Bleek-bok (*Col*).

Cornua differunt omnino formâ atque insertione ab iis priorum

specierum: indicant potius propiorem affinitatem cum sequenti subdivisione, quae a Cl. H. SMITHIO nomine TRAGULUS insigniebatur.

Cornua sunt sub-erecta, ad basin decem aut duodecim rugosis annulis instructa; apicem versus, ubi tantum inflexio, haud valde memorabilis, antrorsum versus offenditur, atque duplice intervallo a se invicem distant, quam quod ad basin est, laevia sunt. Auriculae dimidiam totius capitis exhibent longitudinem, in margine brunneo colore cinctae; dum ad basin utriusque macula nuda observetur; uti sub infimo oculi cantho manifestus saccus lacrimalis apparet.

Color rufulus in pilis, quem adeo frequenter in ANTILOPIS conspicimus, plane hîc deëst. Ea tamen sese distinguit colore helvolo pallideque fulvo; qui maximam corporis partem occupat: in vertice ac per dorsum evadit opacissimus. Suprà quemque oculum apparet stria arcuata alba; labium superius ad ambo nasi latera, mentum, gula, pectus, venter atque latus internum femorum etiam albo colore sunt instructa.

Pili in genere longiores sunt; singularis autem eorum longitudo apparet ad genu: ubi in utroque sexu occurrit scopa, quae cum pilis corporis superioris plane convenit. Insignitur haec species adprime etiam longioribus nigrae speciei pilis, qui brevem caudam maximâ parte exornant. (1)

Femella, praeter cornuum absentiam, nullum alicujus momenti discrimen in colore offert.

Maris adulti longititudo fere quatuor pedum est; altitudo ad humeros duorum pedum triumque pollicum.

Degunt in variis Coloniae partibus etiam in terrâ Caffrorum.

TRAGULUS.

Cornua solis in ♂ prope orbitas vel in iisdem collocata, auribus breviora, nigra, teretia, erecta, distantia, parallela recta, quidpiam antrorsum ac retrorsum inclinata, plerumque annulis rugisque nullis; striis nullis; auriculae longae; corpus in genere gracilentum; artubus elevatis tenellis; caput rotundatum; macula

(1) Ideo BECHSTEIN hanc speciem dixit ANTILOPAM MELANURAM.

ante et circum oculos nigra; sinus suborbitales; rhinarium parvum nigrum; cauda brevissima; pori inguinales; mammae duae; scopae nullae.

Species A. OREOTRAGUS.

FORAT. *Mss.* p. 58.
LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 176, 26.
Idem, Saügth. Tab. XV. ♂. ♀.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 311.
A. Saltatrix, BODD. *Elenct.* p. 141. n. 17.
HAMILT. SMITH apud *Griff. Anim. Kingd.* V, 837, 30.
Kainsi (*Hottent.*), Klip-springer (*Col.*).

Staturâ, picturâ ac vivendi ratione differt hic montium incola manifesto, a cunctis Africae Meridionalis ANTILOPIS, quae hucusque innotuerunt. Illa elegans, protensa atque externe agilis corporis structura, desideratur in hoc saltatore. Pro magnitudine autem ejus, indicant nobis corpus pedesque singulare robur. Caput breve ac compressum: margo orbitalium magis prominet. Cornua procul a se invicem disjuncta, verticalia, subulata, rotunda, fere plane erecta surgunt: ad basin reperiuntur crassa; sex aut septem annulis perspicuis annulata; ad apicem laevia.

Aures habent mediocrem longitudinem, suntque latae, intus albidae; in regione posticâ cinereus color intermiscetur. Oculos circumdat margo niger. Pili, qui hoc animal investiunt, sunt praecipue duri, setosi, ac singulariter elastici: ceterum ad basin reperimus hîc pilos undatos; sed apicem versus ancipiti more compressos: dum separatim iidem constent trium colorum mixturâ. Ad radicem enim cernitur cinereus, in mediâ parte fusco-niger; ad verticem est luteus color. Quomodo proinde ex iis mixtura existat, colorem olivaceum aequans, facile intelligetur; in capite et dorso saturatius evadit.

Ungulae breves sunt, obtuso-rotundatae ac nigrae; pedis planum habet formam ovalem. Ungulae spuriae sunt planae, ac prope se invicem stant; primâ fronte jam moram, quam adferunt, intelligere possumus.

Mas adultus ad humeros altitudinem duorum pedum non aequat.

Unice incolit haec species Africae Meridionalis montes, in quorum cacuminibus et verticibus inaccessis sese delectat: alimentum, quo maxime gaudet, etiam hîc investigare novit.

Species A. TRAGULUS.

LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 176, 27.
DESMAR. *Mamm.* p. 458, 703.
A. Campestris, THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 313.
LICHTENST. *Säugth.* Tab. XIV. ♂. ♀.
A. Rupestris, HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* V, 838, 31.
Steen-bok (*Col.*).

Primus, qui hanc ANTILOPAM, uti singularem speciem nomine per nos suprà posito insigniebat, fuit FORSTER: minus tamen recte ANTILOPAM SCOPARIAM aliasque, credidit tantummodo ejusdem speciei varietates. Tribuit autem ei, quam nunc descripturi sumus, cognomen varietatis RUPESTRIS; ita simul indicans locum, in quo commoratur, nomenque, quo Coloni hoc animal significare solent. (1)

Praecipuum insigne in hoc specie sunt auriculae longae, quae fere longitudine caput aequant: hoc autem pro mensurae ratione parvum est, ovalemque formam habet; naso magis acuto instructum. Cornua formae subulatae, fere erecta, ad apicem, tantum paulo antrorsum procurva; annulorum vestigium non nisi ad basin cernitur: postica e contrario eorum pars tribus aut quatuor striis, quae in longitudine procurrunt, instructa est.

---

(1) De nominibus animalium per Colonos inductis conf. LICHTENSTEIN. l. l. Rectissime enim ait hic Vir Doctissimus. — »Doch hat dieser letzte Name wohl nur eigentlich darin seinen »Ursprung, dass die ersten Europäer, die die Capcolonie bevölkerten, die Benennungen der »Africanischen Thiere aus der Europäischen Naturgeschichte entlehnten; ohne Kenntniss der- »selben zu haben; und so das Kamel, das Elennthier, den Hirsch und den Steinbock, mit »vielen andern nach Süd-Africa verpflanzten; wo von allen diesen nichts wahrhaft Aehnliches »anzutreffen ist."

A cornuum basi usque ad occiput apparent duae striae nigri coloris; numeri quinarii, V, formam prae se ferentes: hae praesertim in foeminâ ecorni manifestius etiam observantur; procurrit ejusmodi stria a naso inde usque ad mediam capitis partem; dum universe hoc loco color rubro-brunneus hilariter splendideque conspiciatur. Evadit idem color tamen in supremâ capitis parte purissimus; in corporis lateribus laevior est, offerens magis argenteo-griseam speciem.

Pars prona colli atque extremitates sunt luteo-brunnei coloris. Cauda brevis est atque exhibet eundem colorem, qui in dorso est; mentum, gula, ac venter sunt albae speciei.

Mas adultus tribus pedibus et sex pollicibus longus est; ad humeros viginti pollicibus altus. Cornua sex pollicum sunt.

Hoc animal offenditur per omnem Coloniam in planitiebus; sive sit solitarium, sive ejus par unâ degat.

Species A. RUFESCENS ?

HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* V, 839, 32. et IV, p. 248.

Haec species mihi videtur natu minor, quam TRAGULUS noster; sive a Colonis *Steen-*, sive *Vlakte Steen-bok* vocetur: nam utroque nomine promiscue utuntur. Comparatio speciminum quorundam juniorum instituta cum descriptione, quam dedit H. SMITH l. l., hanc nostram opinionem omnino confirmavit.

Species A. MELANOTIS.

AFZEL. in *Nov. Act. Upsal.* VII, p. 257.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 312.
Grijsbock, FORST. *Mss. Suppl.* VI, p. 185.
LICHTENST. *Säugth.* Tab. XII. ♂. ♀.
A. Grisea, HAMILT. SMITH in *Griff. Anim. Kingd.* V, 840, 35.
Grijs-bok (*Col.*).

Nonnulli rerum naturalium perscrutatores habebant hanc spe-

ciem, non raro tantum pro varietate praecedentium. At non modo diversus pilorum color huic speciei soli proprius videtur; sed trahit quoque animi attentionem, maximoque insigni est in elegante figurâ, caput pusillum; cui adjungi merentur brevia cornua, longaeque auriculae; quae primâ fronte, uti plane singulare quid, oculorum aciem afficiunt.

Cornua circiter dimidiâ capitis longitudine instructa, supra oculos spatio longo a se invicem posita; satis aequali intervallo procurrunt; apicem versus aliquatenus procurva: ad basin autem idem haud cernere licet; annulata sunt duobus tribusve annulis planis; juxta apicem eadem laevia, lucida nigraque sunt.

Sinus lacrymalis valde manifestus; cutis glabra, quae hîc apparet, procurrit formâ semicirculari circa oculum. Auriculae in margine postico coloris subnigro-rubri; margo internus parce tantum longioribus albae speciei pilis occupatur. Color maximâ parte constat pilis, lucide splendideque ferrugineis, ac fuscis; aliquot pilis albis inter se commixtis: purissime tamen idem cernitur in capite, et per cervicem; in dorso atque in lateribus corporis prodeunt hi longiores pili etiam; atque vel in nonnullis speciminibus tam frequentes adsunt, ut alter color plane videatur perire, idemque existat, quod, ubi hominum capilli canitiem induunt, observari solet. (1) Corporis latera versus evadunt iidem pili albi breviores; at deficiunt plane in pedibus ac ventre: dum color, qui illic exstat, luteo-subferrugineus est.

Cauda perbrevis est pilis, quales in dorso, instructa.

Femina, praeter absentiam cornuum, minoremque extentionem auricularum, nullum aliud offert discrimen.

A. TRAGULO minor.

Elegans haecce ANTILOPA, quaeque propter carnem valde appetitur, sese magis universe per Coloniam extendere videtur. In planitiebus ac plagis, quae parce fruticibus sunt densatae, non occurrit; sed potissimum rimas, magisque condensata loca eligit. Velocitate atque agilitate reliquas ANTILOPAS minime imitatur; unde haud raro quoque eam canes assecuti capiunt.

---

(1) Hinc accidit, ut hoc animal nomine, *Grijs-bok* a Colonis insigniatur: pili tamen albi semper adsunt, atque adeo in recens natis pullis clare cernuntur.

Species A. PEDIOTRAGUS.

An revera pro distinctâ specie habenda?

AFZEL. in *Nov. Act. Upsal.* VII, p. 260.
A. Tragulus var. *Pallidus*, LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 176, 27.
A. Pallida, HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* V, 841, 16. et IV, 251.

Cornibus rectissimis retrorsum inclinatis, teretibus, circa quadripollicaribus, acuminatissimis, antice carinâ obsoletâ; annulo oculos circumcingente nudo, nigro; auriculis latioribus brevioribusque, quam in A. MELANOTI; cauda fere tres pollices longa; corpore suprà pallide rufo, flavo-albicante, subtus albo; ♀ rubicundior; mammis duabus.

Raro in campis terrae Caffrorum adest secundum H. SMITHIUM, l. l.

CEPHALOPHUS.

Cornua solis maribus propria, parva recta vel subrecta, reclinata, summâ in fronte locata, nigra, rugosa aut annulata; rhinarium sat amplum, nigrum; pili sincipitis plus minus in fasciculi speciem elongati, vel divergentes; saccus inter orbitas naresque per foramen rimamve hians, cum sinu lacrymali, qui interdum deëst, haud cohaerens; scopae plerisque nullae; suffragines breves; gambae scelidum elongatae; mammae duae aut quatuor; cauda brevis, floccosa; color in genere obscurus; statura media vel parva.

Species A. MERGENS.

BLAINV. in *Bullet. de la Soc. Phil.* 1817.
DESMAR. *Mamm.* p. 463, 711.
A. Nictitans, THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 312.
LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 177, 28.
Idem, *Säugth.* Tab. XI, c. Fig. ♂.
HAMILT. SMITH in *Griff. Anim. Kingd.* V, 849, 42.
Duiker (*Col.*).

Nihil amplius videtur superesse dubii, quin CAPRA SYLVESTRIS

AFRICANA, quam nobis valde mancâ ratione descripsit GRIMMIUS, [1] undeque non parva confusio in ANTILOPARUM genere extitit, nulla alia habenda sit, quam femina hujus MERGENTIS.

Cornua, quae media inter aurem oculumque sunt inserta, apparent recta, subulata, divergentia, et magis in planum faciei reclinata, quam erecta sunt; ad basin valde prope se invicem collocata, quatuor aut sex annulis planis cinguntur.

Maxime autem in oculos incurrit penicillus pilorum fusco-nigrorum, qui inter cornuum bases apparet, atque adeo feminam ecornem insignit. Stria glabra, incisurae instar, cernitur obliquâ directione sub cantho oculorum; color universim saturate fusco-luteus; nigro in dorso intermixto. Stria a vertice ad nasum procurrens, uti et margo pedum anticus nigrum exhibent colorem: venter, item prona caudae pars sunt albi coloris: hic tamen parte superiore est e nigro brunneus.

Mas adultus ad humeros fere uno pede ac novem pollicibus latus est.

Pro aetatis discrimine, exstat quoque apud haec animalia aliquod discrimen in colore, et habitu corporis; exempli gratiâ, in speciminibus natu minoribus, conspicitur color vulgaris, nigris griseisque pilis intermixtis.

Contigit nobis complura hujus speciei specimina explorare; unde necessarium evasit, ut A. BURCHELII atque A. PTOOX, [2] ita distinguantur; quod prior sit specimen adultum; posterior autem pullus.

Incolunt campos planos, atque, uti videtur, sese per omnem Coloniam disperserunt: sunt tamen in Dioëcesi NIGRAE TERRAE (*Zwartland*), imprimis numero frequentes. Reperiuntur solitarie degentes; aut ita, ut par tantum earum simul offendatur.

---

(1) Conf. *Ephemerides Naturae Curiosorum*, Decur. II, ann. 4. pag. 131, Fig. 13.

(2) Clar. LICHTENSTEIN jam antea hoc nomine A. MERGENTEM insigniverat.

Species A. PYGMAEA.

PALL. *Specil.* XII, p. 18, 20.
A. Minuta, FORST. in *Mss.*
A. Monticola, THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 315.
LICHTENST. *Säugth.* Tab. XVI, 1. ♂. ♀.
A. Coerula, HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* V, 853, 46.
DANIEL'S *Scenery of South. Afr.* c. Fig.

Var. A. PERPUCILLA.

H. SMITH l. l., p. 854, 47.
Blaauw-bokje (*Col.*).

Inter Africae Meridionalis ANTILOPAS, quae hucusque innotuerunt, haec omnium est minima: non tamen est, quod eleganti staturâ, agilitate ac picturâ congeneribus suis cedat.

Corporis extentio singularis pro brevium artuum normâ, quam ANTILOPAE in silvis degentes adeo propriam habent, etiam in hac specie clarissime observatur.

Caput est elongatum, atque acuminatum; nullus saccus lacrymalis externe apparet.

Auriculae breves sunt, rotundatae atque apertae; fere longitudine cornuum gaudent: collocantur autem in occipite procul ab oculis. Cornua ipsa bipollicaria inter se parallela sunt; dum maxima, retrorsum versa sese extendant; fere in dorsi nasalis plano posita, ad apicem modo parum proclinant. Observantur ad basin, quae partim pilis obtegitur, quinque aut sex semi-annuli.

Maxima pars corporis est schisticoloris, aut, si mavis, habet speciem purpureo-coeruleam, fusco colore intermisto; per dorsum tamen atque in vertice saturatior est: capitis autem latera, extremitatesque magis fuscescunt.

Labia, mentum, macula ad gulam, venterque habent albam speciem: qui color in caudae margine prono similiter offenditur.

Mas adultus ad humeros tredecim pollicibus altus est.

Degunt in locis sylvestribus Coloniae remotis: etiamque in terra Caffrorum.

TRAGELAPHUS.

Cornua in ♂ solis? carinis angulos subspirales formantibus, supremis ossibus frontalibus imposita; rhinarii loco spatium exiguum nigrum; sinus lacrymales nulli; color maculis strigisque albis insignitus; formae elegantes, imo caprinae; mammae quatuor.

Species A. SYLVATICA.

SPARM. in *Act. Holm.* 1780. III, 7. p. 197. Tab. 7.
LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 173, 23.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 315.
ALLAM. BUFF. *Hist. Nat.* V, p. 35. Tab. 15.
HAMILT. SMITH. in *Griff. Anim. Kingd.* V, 858.
Bosch-bok (*Col.*).

Cornua in hac specie maxime a typo ANTILOPARUM in genere differunt. Hîc scilicet sunt subspiralia, fere decem pollicibus alta, in parte anticâ posticâque per carinam obsoletam notata. Valde superiori capitis parti inserta sunt, atque parallela cum facie exsurgunt: introrsum extrorsumque curvata, ita ut inter se formam magis minusve lyratam constituant: ad apicem vero extrorsum antrorsumque curvata cernuntur.

Auriculae magis rotundatae sunt, atque angustae; pars interna colore albo instructa.

Maxime gaudet pars corporis in parte superiore colore splendide castaneo-fusco; stria spinalis longitudinalis angusta alba cernitur. Maculae nonnullae albae, hîc illic non numerosae, illi colori castaneo fusco sunt impositae.

Sunt autem illae characteristicae, et sex numero in femore observantur; tres ad latera capitis; una, sed ea maxima, ad gulam: duae, quae formam elongatam habent, in parte anteriore antibrachii conspiciuntur: nonnullae minores, tamen non constanter, in aliis speciminibus offenduntur; quas enumeravi, in junioribus speciminibus jam locum habent.

Mas adultus duos pedes atque octo pollices altus est; quinque vero pedes cum tribus pollicibus longus cernitur.

Monogami degunt in sylvis magis remotis Coloniae.

Genus **DAMALIS**.

ACRONOTUS.

Cornua in sexu utroque, flexurâ duplice plus minus distincta, basi approximata, inferne annulata, apice laevia et recurvata; caput angustum longum; rhinarium parvum nullumve; sinus lacrymales parvi; scopae nullae; pori inguinales; humeri elevatiores; uropygium depressum; cauda floccosa usque ad mesocynia descendens; mammae duae vel quatuor; celeritas haud insignis.

Species D. CAAMA.

CUV. in *Dict. des Sc. Nat.* II, p. 242.
Caama, Idem, Ménag. du Mus. Ed. in 8. I, p. 348.
A. Bubalis, LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 163.
A. Dorcas, THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 316.
D. Caama, HAMILT. SMITH in *Griff. Anim. Kingd.* V, 877, 2. et IV, p. 388, c. Fig.
Harte-beest (*Col.*), Kaama (*Hott.*), Licama (*Caff.*).

Propter affinitatem haec species diu cum A. BUBALIA, PALL., quae in Africae Borealis desertis occurrit, erat confusa. Illustr. CUVIER tamen ab eâ hanc disjunxit, atque nobiscum revera, uti speciem distinctam communicavit.

Caput longius est, tamen gracilius, quam in congenere suo; cornua carinae suprà ossa frontalia inserta sunt: ad basin perquam approximata, ita ut quasi ex unâ radice videantur exsurgere, atque a nonnullis etiam ita descripta fuerint. Valde robusta, nigra, ad basin divergentia, directione parallelâ cum fronte; mox tamen antrorsum: ad apicem vero, ubi laevia sunt, retrorsum curvantur; antice nodis quinque aut sex prominentibus instructa.

Macula permagna ad basin cornuum; stria lata eodem colore procurrit e mediâ fronte usque ad nares; altera a mediâ parte scapulae decurrit in marginem anteriorem antipedum; subtus, atque macula clunium ampla triangula, alba est: macula illa ad basin ope alterius valde amplae, scilicet nigrae, terminatur.

Maxima pars corporis gaudet tamen colore pallide fulvo, vel laete ochraceo; apex caudae niger est.

Mas adultus, a naso ad caudam, pedes septem cum dimidio longus est; ad interscapulium vero quinque pedibus.

Degit haec species gregatim, gregibus tamen minoribus, decem vel duodecim numero; non turbâ majore. Terra Caffrorum ejus est sedes.

Species A. LUNATA.

HAMILT. SMITH in *Griff. Anim. Kingd.* V, 880, 5. et IV, p. 352, c. Fig.
Sassaiyby, DANIELS *Afric. Scener.*

Cornua ad basin valde approximata sunt, robusta, summitati ossium frontalium inserta, extrorsum versa, ad apicem vero introrsum curvata; ita ut duos semi-circulos videantur formare: duodecim annuli obsoleti adsunt; tres ad basin valde sibi approximati, ceteri irregulares; apicem versus evanescunt: distantia a basi ad apicem usque tredecim; apicum vero inter se duodecim pollicum est. Auriculae pollicum septem cum dimidio asininae sunt; in margine atque intus pilis albis large instructae. Sinus lacrymalis conspicitur sub cantho oculorum.

Corpus obesum, collo brevi, capite lato, humeris elevatissimis, dorsoque devexo instructum. Stria obscura nigra, quae ad basin cornuum oritur, decurrit per mediam faciem ad nares usque: color in superiore corporis parte saturate nigricans, purpureo-fuscus; infrà, uti et praesertim extremitates rufescunt magis; quae valde firmae ungulisque brevibus robustis, nigris sunt instructae.

Cauda mediocris pilis longis vestitur.

Femina adulta quatuor cum dimidio pedes longa est: ad humeros circiter trium; ad prymnam duorum pedum cum octo pollicibus altitudinem habens: cauda septendecim pollicum est.

Occurrunt in plagis, quas ita dicti BOJESMANNI incolunt, Africae Australis, ac rarioribus omnino adnumerari debent.

BOSELAPHUS.

Cornua sexui utrique communia, gravia, robustissima, in summitate ossium frontalium collocata, transversim rugosa, recta apicibusve leviter procurva, fusca vel cineracea, circa suum axim (cum plano faciei in directione elongatâ situm) per carinam plus minus prominulam spiralem contorta; embolis ad basin sinu amplo instructis, ceterum passim porosis; rhinarium distinctum; sinus suborbitales nulli; collum jubatum; palearia lata, profunda, pilis longis limbata; femellarum ubera papillis quatuor munita; statura maxima.

Species D. OREAS.

PALL. *Specil. Zool.* XII, p. 17, 17.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.*, Tom. III, p. 314.
Coudou, BUFF. *Hist. Nat.* XII, p. 357. Tab. 46, 6. (cornua).
A. VOSMAER, *Beschrijving van het Afrikanische Dier, cet.* Amst. 1783. 4. Tab. aen. 17.
D. Oreas, HAMILT. SMITH, in *Griff. Animal. Kingd.* V, p. 355. c. Fig.
Eland, (*Col.*) Canna, t'Gann, (*Hott.*) Impoofo, (*Caffr.*)

Inter genus ANTILOPARUM, de quibus dictum est, OREAS noster, reliquas species magnitudine videtur superare.

Cornua, quae utroque sexui communia sunt, exstant in mare adulto bipedalia; in foeminâ tamen minora cernuntur recta: in adultissimis ad apicem parum procurvata. Singula videntur quasi e duobus formata; ita ut prius axim constituat; alterum pene circa prius spiraliter extrorsum volutum: in fronte incipiens, propemodum ad apicem usque adscendit.

Corpus taurinum est; caput longum; frons magis quadrata; linea facialis recta.

In mediâ fronte observatur crista setosa, reversa et rufis pilis constans, secus illam per culmen cervicis ad humeros usque, qui altissimi sunt, recurrit: illic tamen hi pili numerosi atque longiores exstant. Palearia, quae hîc valde evoluta sunt, in parte anteriore pilis setosis, fuscis ornantur.

Caudae longitudo fere bipedalis; ad apicem floccus largus, pilis rigidis, nigris constans conflatur.

Color in genere est rufo-fuscescens cinereusque; artubus subnigris; in parte anteriore abdomen album exstat.

Mas adultus circiter quinque pedibus ad humeros altus est; novem pedes longus: circumferentiâ pone brachia plus quinque pedes aequante.

Degunt gregatim in dioëcesibus, quae nomine *Karoo* insigniuntur.

Species A. CANNA?

HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* IV, p. 198. pl. (corn.)
Cape Elk, var. DANIELS *Afric. Scener.*
Bastaard Eland, (*Col.*)

In Opere Cl. H. SMITHII l. l., hoc animal, uti species distincta describitur.

Ut hac de re tamen statuatur, absque dubio accuratior investigatio opus erit. Differentia, quae cornuum ratione hîc attenditur, eadem est, cui ANTILOPAE in variis vitae periodis universe sunt obnoxiae.

STREPSICEROS.

Cornua solis in ♂, rugis nullis, pallide colorata, apicibus obscura, spiralia, curvata, in summitate cristae frontalis exorta, embolis ad basin cavitate exsculptis, sursum porosis; rhinarium latum, humidum; palearia genuina; collum longiter jubatum; mentum barbatum; striga suprà ocularis alba: auriculae latae; humeri elevati; cauda pilis longis tecta; ubera papillis quatuor; statura grandis.

Species D. STREPSICEROS.

PALL. *Spec.* I, p. 17, — XII, p. 19, 67.
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 317.
VOSMAER, *Beschr.* cet. *van een Harte-bok.* Amst. 1783, c. Tab. aen. col.
S. DANIELS, *Afric. Scenery* n. IV.
D. Strepsiceros, HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* V, 883, 1.
Koudoe, (*Hott.*)

Characteristica in hac specie perpulcrâ ANTILOPARUM sunt cornua. Ossium frontalium summitati inserta, sunt crassa ac compressa; in anticâ parte instructa carinâ; quae carina cum cornu format duos circulos, plane spirales: apices antrorsum extrorsumque sunt curvati; ad basin ipsi rugosi; tunc laeves pallidique coloris, apices obscuri; extremitates cornuum albae sunt; atque regulariter divergentes.

Auriculae oblique, uti in BOVE, instructae, sunt latissimae; ad apicem vero acuminatae. Collum crassum inter scapulia elevata; palearia anterius quadrata, pilis longis fimbriatim instructa.

Color pilorum in fronte niger est; stria alba supra orbitas sese portendit; exit autem illa stria in metopio ita, ut formam lunulatam efficiat: mentum album est atque barbatum; in cervice jubae conspiciuntur erectae.

Corpus gaudet colore testaceo, cineraceo. Linea spinalis alba, per quatuor aut quinque alias lineas transversas, ventrem versus decurrentes, item per quatuor prymnas intersecatur; ad partem inferiorem corporis magis rufa.

Clunes albae sunt; uti etiam cauda in parte superiore; rufis pilis tamen marginata: ad apicem pili longi, nigri eandem tegunt.

Mas adultus ad humeros quatuor pedes altus est; circiter octo autem pedes longus.

Feminae minores sunt, cornibus destitutae.

Degit haec species solitaria, aut per paria in locis sylvestribus, magis Orientalem Coloniae partem versus: etiam in terrâ Caffrorum, atque in planitiebus, quae prope montes, *Karoo* dictos, reperiuntur.

Genus CATOBLEPAS.

Species C. GNU.

Bos Connochaetes, FORST. *Mss.* p. 66.
B. Gnu, THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 359.
Κατώβλεψ, AELIAN. *Nat. Anim.*, VII. c. 5.
PLIN. *Hist. Nat.* VIII. 21, c. rar.
Gnou ou Nou, BUFF. *Hist. Nat. Suppl.* VI, p. 29, Tab. 8.
HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* V, 885, 1.
t' Gnu, (*Hott.*) Wilde-Beest, (*Col.*)

Cornua obscura, lata laeviaque exoriuntur in summitate capitis, ad basin valde sunt approximata; antrorsum supra oculos excurrunt; sursum verticaliter in unco acuminato terminata.

Caput valde quadratum est, facies pilis setaceis, nigris, irregulariter dispositis ornatur; fasciculus similium pilorum infra glandulam oculi utriusque adest: nonnulli tamen pili longiores albaeque speciei, stellatim oculum circumdant, atque in circuitu oris etiam offenduntur. Juba verticaliter erecta, longitudine circiter quatuor pollicum, fere extenditur in centro nigro a posteriore cornuum parte; ad latera eadem est alba.

Mandibulae barbâ comosâ armatae: fimbria, quae fere a gutture inter antipedes, ad sterni finem usque sese extendit, saturate fusca est.

Humeri profundi; corpus subteres; coxae tubere adiposo instructae; artus elevati, elegantissimi sunt. Ungulae acuminatae, colore atque pilis longis albis vestitae.

Color pilorum pro maximâ parte fusco saturatus est.

Feminae minores sunt, atque in iis cornua ad basin non adeo approximata sunt. [1]

Mas adultus ad humeros tribus pedibus et decem pollicibus altus est. Longitudo ejusdem est quinque pedum cum dimidio.

---

(1) In Museo LEIDENSI specimen exstat minus natu, quod cornibus longitudine fere trium pollicum instructum est. Habent ea cornua formam conicam atque perpendiculariter summitati ossium frontalium imposita sunt. Quare ex eo concludere licet, illud hîc revera locum habere, quod in cornibus BOVIS evolvendis ac formandis observatur.

Degunt gregatim in Meridionali atque mediâ Africâ. In dioëcesibus, *Karoo* dictis, etiam nonnunquam conspiciuntur.

Species C. TAURINA.

Kocnu, TRUTER et SOMMERVILLE in *Géogr. Ephem.* 1807, p. 273.
DANIELS, *African Scenery* I, n. 3.
Kokong, LICHTENST. in *Berl. Mag.* VI, p. 166.
HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* IV, p. 886, 2.
Bastaard Wilde-Beest, (*Col.*) *Var.* C. GORGON.

Primus, qui hoc animal, uti speciem distinctam commemorabat, fuit LICHTENSTEINIUS.

Cornua maximâ parte cum specie praecedente conveniunt; ad basin tamen minus lata, irregulariter rugosa, magis a se invicem distant et nigra sunt: quod ad latera pertinet, pone auriculas deflexa, denique repente sursum curvantur, non vero frontem versus. Caput, collum, humerique crassissima validissimaque sunt; primum tamen proportione breviora, latioraque, quam in praecedente. Oculi valde in supremâ capitis parte collocati. Collum instructum est jubâ longâ, fluctuante, obscurâ; quae sese ultra scapulium extendit. Protuberantiâ cartilagineae naturae metopium instructum est, atque pilis longis nigris vestitur; ad canthum oculorum inferiorem cernitur macula ampla, glandulacea, nuda, circuli formam habens, humoremque viscidum secernens.

Mentum ornatur barbâ obscurâ, setosâ, secus palearia ad pectus usque decurrente.

Color corporis in genere est saturate cinereus, canescens. Cauda tres pedes cum tribus pollicibus longa est; pilis longis, nigris occupatur.

Mas adultus fere quatuor cum dimidio pedes ad humeros altus est: ejus autem longitudo est quinque pedum, inde a pectore ad uropygium usque. Auriculae decem pollicibus longae. Degunt gregatim in Terra Caffrorum.

Genus BOS.

Species B. CAFFER.

SPARMAN in *K. Svensk. Vetensk. Acad. Handl.* 1779. p. 79, 13.
CUVIER, *Oss. Foss.* VI, p. 132, Tab. 9. Fig. 14, 15. (cron.)
THUNB. in *Mém. de l'Acad. de Petersb.* III, p. 318.
Cape-Ox, SHAW, *Gén. Zool.* II, 2. p. 416.
HAMILT. SMITH in *Griff. Animal. Kingd.* V, 889, 1. et IV, p. 384. c. Fig. Juvenci.
Buffel, (*Col.*) Qu'araho, (*Hottent.*)

Illustr. SPARMAN, in Opere laudato, jam accuratissimam descriptionem hujus speciei nobiscum communicavit. Insignia ejus sunt: Cornua ponderosissima ac saturate colorata, horizontaliter extensa, ad basin contigua; octo usque ad decem pollicibus lata; apices sursum diriguntur, atque mucronati: distant vero inter se circiter quinque pedes; ad basin valde cellulosa.

Auriculae valde amplae ac subpendentes. Mandibulae barbâ instructae. Palearia vasta, valde laxa, in junioribus speciminibus copiose pilis nigris instruuntur; dorsum rectum; extremitates breves, sed robustae sunt; cutis nigra, subnuda in adultis; cauda unum cum dimidio pedem longa, ad basin nuda, ad apicem vero pilosa.

Corpus fuscum est, pilis brevibus instructum; facies, mentum, collum, pilis longioribus ornantur. In junioribus speciminibus hi magis nigrescunt, et sunt in genere longiores. (1)

Species adulta, ad humeros quinque cum dimidio pedes alta reperitur; novem autem inde a naso ad caudae basin longa est.

Degunt magis dissitae in sylvis ad Orientalem Coloniae partem.

---

(1) Specimen in Museo BEROLINENSI exstat, in cujus capite linea frontalis alba observatur.

CETACEA.

Si accuratam absolutamque *Cetaceorum* conficere velim monographiam, suscipiam opus, quod pro conditione, in quâ nunc versatur scientia, quam difficillimum esset peractu.

In paucis tantum Museis eorum extant sceleta; in paucioribus etiam occurrunt specimina effarcta: quae tamen omnem vulgo amiserunt formam, atque sic haud parvam confusionis praebent ansam.

Illorum vero icones, ad vivum confectae, originem suam vulgo hominibus imperitis debent; vel adeo ex animalibus, longiore intervallo in mari conspectis, desumtae sunt: quare potius ex opinione propositae, quam ad naturam expressae videntur. Tantum denique abest, ut plerasque majores hujus familiae species rite cognitas habeamus, ut magnopere dubium sit, utrum reverâ extent, an mere fictitiae sint.

Quum porro haec animalia in variis maribus, tam prope polum Arcticum et Antarcticum, quam in iis zonarum aestuosae ac temperatae inveniantur; atque aqua, quippe elementum ubique dispersum et cohaerens, iis nullos definitos limites adsignaverit, certa eorum sedes indicari nequit.

Quod igitur ad Geographicam *Cetaceorum* distributionem attinet, haec debet ad certas reduci leges; quas ut admittamus, variae, at inter se congruentes observationes, nos omnino (nunc jam) incitant.

Quum autem et aër et mare eandem fere naturam ad utrumque polum prae se ferant, recte et necessario concludimus, in locis utrisque hujus familiae animantia, quae maxime inter se conveniunt, adesse oportere. Hinc ***Balaenae, Balaenopterae, Physeteres*** ac ***Delphini*** maria utriusque poli inhabitant.

Videntur tamen aliae quaedam causae illic ullam generum specierumque adferre mutationem; ita, verbi gratia, ***Balaenae, Balaenopterae,*** ac ***Delphini*** ad polum Meridionalem differunt ab illis poli Septentrionalis; at ***Physeter*** solus in quovis mari, eâdem formâ probabiliter gaudet.

Diversitas autem, quae in speciebus *Balaenarum, Balaenopterarum* ac *Delphinorum,* ratione utriusque hemisphaerii observatur, solummodo parvis aberrationibus quarundam partium constat, ac porro universe ad formam generalem pertinet: quam ob rem etiam cunctae species Antarcticae alium typum originalem offerunt, atque illae, quae Oceanum Septentrionalem pervagantur. Utraeque idcirco ad eundem quidem typum, sed suâ statione mutatae et formatae, pertinere videntur: aut, si malis, in ambobus hemisphaeriis vicissim idem genus referunt.

Ita in Oceano Boreali, unam solummodo speciem *Balaenarum Mysticetorum,* jure statuere licet; cujus analogia in maribus Antarcticis hemisphaerii Meridionalis obvia est. (1)

Docuerunt multae investigationes *Balaenopteras* Septentrionales omnes ad unam speciem pertinere; (2) quae eadem in speciminibus Meridionalibus, per Illustrissimum CUVIERIUM descriptis, repetita offertur.

Ita *Delphino Peronii,* Oceani Australis incolae, opponitur *Delphinus Leucas;* quemadmodum nemo analogiam, quae inter nostrum *Delphinum Heavisidii* (GRAY) ac *Delphinum Phocaenam;* inter nostrum *Delphinum Capensem* ac *Delphinum Delphin* exstat, negabit. Quis denique est, qui dicat, quantam naturae analogiam sequentis aevi investigatores, detecturi sint; postquam omnes hae cognatae species inter se comparari potuerint: quando alimenta horum Cetorum, eorum vivendi ratio ac locorum, in quibus commorantur, commutatio innotuerit; quando molusca, quae iis alimento esse solent, secundum suas species invicem conferri inceperint: denique, quando etiam inferiores illi organismi e regno plantarum, quae maris fundum occupant, mutuam collationem subire potuerint. In vasto enim rerum naturae regno necesse est, ut unum ex altero sequatur; et, ratione demum totius connexus habitâ, certos specierum limites eruere licebit.

Hucusque tamen omnia, quae diximus, merae hypotheses seu conjecturae sunt censenda. Quod vero ad *Cetacea,* quae in mari-

(1) Conf. CUVIER, *Ossem. Foss.* Tom. V, p. 361—363, cet.

(2) Vid. CUVIER: atque imprimis Opusculum Doctissimi SCHLEGELII, in Linguâ Batavâ concinnatum, quod inscribitur: *Verhandeling over eene in het jaar 1826 gestrande Vin-visch.*

bus Asiaticis atque Americanis extant, attinet, de iis nobis nondum aliquid certi innotuit, illorumque cum ceteris convenientia, quâ ejusdem speciei esse probantur, solâ adhuc nititur opinione. (3)

Memoratu tamen dignissimum est, istas observationes cum iis, quas distributio Geographica *Cheloniarum* marinarum frequenter nobis obtulit, ad amussim concordare.

Etsi verum sit, eorum organismum, uti et illum Amphibiorum calidiores Zonas proximorum convenire; nihilominus tamen ipsorum distributio legibus quibusdam obnoxia est, atque cum illa *Cetaceorum* comparata, nobis occultam naturae indigetat viam. Etenim inter tres ad hunc usque diem cognitas generis *Cheloniae* species, Genus *Cheloniae*, prima *Chelonia Cephalo*, tantum in maribus, quae partem Septentrionalem Aequatoris occupant, degit: species secunda, seu *Chelonia Viridis*, in maribus ab Aequatore Meridiem versus sitis, sedem suam fixisse videtur: tertia denique *Chelonia Imbricata*, quippe troporum incola, in orbe utroque reperitur.

Pari modo, uti quaeque species *Sphargidum* e diversis terrae aequoribus prodit; ita ad unum idemque genus pertinet utrumque animal, quod ultimo loco dicebatur; *Chelonia Imbricata*, *Sphargis*, *Mercurialis:* nihilominus *Physeter* solus specie analogâ caret.

Quanti itaque momenti sit sedem, quam ambae species obtinuerunt, cognoscere? Incertum vero est, utrum haec animalia, proinde ac *Balaenae*, *Balaenopterae*, ac *Delphini* e sedibus suis migrent, et eâdem ratione in loca sua aestiva ad genus propagandum redeunt; an adeo hae species *Cosmopolitarum* nomine insigniri mereantur: unde continua mutatio, quam aëris conditio patitur, nullam vim in illis exercet.

Balaenae, *Balaenopterae* et *Delphini*, quotannis ejusmodi commigrationes instituere videntur: fortasse comitantur illas innumeras piscium migrantium turmas, quo melius alimentum suum obtineant. Uti autem videtur, haec animalia, saltem nonnulla ipsorum, e locis, in quibus antea degerant, propter frigus ac gla-

---

(3) Specimen DELPHINI GLOBICIPITIS, quod ab eruditissimo SIEBOLDO e regione *Japonicâ* huc adductum, in Museo LUGDUNO-BATAVO exstat, sententiam hîc allatam admodum confirmare censetur.

ciem discedunt, quoniam tunc ipsorum nutrimentum consuetum (molusca minora), deletur, atque sic maria, sub coelo minus infausto atque temperatiore sita, petunt; in quibus per unumquodque anni tempus ingens horum animalculorum ipsis offertur multitudo.

Tunc quidem ad Aequatorem usque procedere, et loca, quem hucusque inhabitârant, vicissim egredi videntur; id quod et *Cheloniae* suprà memoratae faciunt: quae, quando tempus pariendi venit, propriam sedem relinquunt; haud raro autem, si tantummodo loci conditio iis faveat, omnes species in unum collectae, simul hoc munere fungi reperiuntur.

Per ejusmodi igitur demigrationes *Cetacea* ad Aequatoris partes perveniunt.

Quidquid de speciebus, in hemisphaerio Austrino degentibus, constet, et de his innotuerit; licet tantum hoc loco de iis animalibus nonnulla dicere, quae per tempestatem in littoribus meae patriae appulerunt, aut in vicinis sinubus capta sunt.

Multae tamen *Delphinorum* species videntur, Cosmopolitarum instar, magis esse dispersae; aut in certis maribus, spatio longe angustiore, quam illa *Cetacea* contineri. Ita *Delphinus Leucas* raro tantum a polis discedere fertur: *Delphinus* autem *Phocaena*, *Tursio* et *Delphis* in omnibus maribus Septentrionalibus ad aequatorem usque, in quovis anni tempore reperiuntur.

Haec quamvis ita sese habeant, perdifficile tamen est, eâ de re aliquid accurati certique statuere; quod praeterea fines hujus qualiscunque opellae excedere videtur.

Difficultates tamen, quae sese hîc offerunt, non tantae habendae sunt, ut imprimis, quum magna argumenti gravitas cuique appareat, propterea omnis longior inquisitio differatur; e contrario unumquodque periculum hac in re factum, a quovis scientiarum fautore ingenuo probatum iri, et spero et confido.

Superest, ut paucis indicem, *Menodontem Monocerotem*, qui quasi ad polum Arcticum repulsus videtur, quantum constat, apud polum Antarcticum specie nullâ analogâ referri. (1)

(4) Vir amicissimus SCHLEGEL, qui jam diu in eo est, ut opinionem suam in *Faunâ Japonicâ* rite explicet, benevole haec mecum communicavit.

Genus BALAENA. LINN.

Species B. MYSTICETUS. (ANTARCTICA.) (1)

Jam in itinerariis peregrinatorum priscorum, non raro mentionem videmus factam magnae *Balaenarum* multitudinis, quas in itineribus suis circa polum Meridionalem observaverant. Confirmarunt id quoque recentiores; uti PERON, BORY ST. VINCENTII, aliique: quumque animalia haec ad tropos, per quaedam anni tempora adessent, factum est, ut inde statim periodica quaedam eorum commigratio statueretur. Cognoscebatur sane istos gigantes, tantum certis temporibus, ad oras Africae Meridionalis apparere. Recentiore aetate demum apud nos *Balaenas* ac *Balaenopteras* venari, coeptum est: (2) quod hodie non tantum in sinu montis *Tabularis*, sed in compluribus quoque aliis locis, imprimis ad oras, haud raro contingit.

In orbe vero opposito exercent Angli et Americani (plerumque in mari Australi) hanc capturam; quorum expeditiones, uti e novissimis apparet relationibus, semper felici exitu gaudent. (3) Primas horum animalium indicationes, quae scientiis aliquatenus prodessent, quod ad species eas, quae in nostro Promontorio apparent, spectat, protulit LALANDE. Quidquid autem huic eâ de re innotuerat, in lucem edidit CUVIER. (4) Quare, quoniam mihi nil ulterius de iis occurrit, eorum tantum, quae illic extant, nunc aliquam epitomen addere lubet.

Balaena nostra Meridionalis, quoad staturam, quae ipsi assignatur, universe minor magisque depressa esse videtur, quam Arctica.

CUVIER exhibet nobis icones cranii adulti, nec non ejus in

---

(1) Quod attinet ad denominationes Specierum in hoc commentario de BALAENIS, sequar sententiam Amici aestimatissimi SCHLEGELII; qui, ut facilius species ipsae distinguantur, ac confusiones, quae e praecedente nominum similitudine profluxerunt, evitentur, haec omnino commoda, nec non intellectu facilia nomina suasit. Conf. ejus Tractatus, suprà jam allegatus, quique inscribitur: *Verhandeling over eene Vinvisch.* Occurrit in Tom. III Operum primae Classis *Regii Instituti Batavi.*

(2) HESSE, *Journal* a visit to South Africa: *The South African*, COMM. ADVERT. An. 1831. cet.

(3) SORRESBY *Voyage*, Tom. III, p. 529. seqq.

(4) *Ossim. Foss.* Tom. V.

juniore specimine. [5] Cognitio evolutionis horum craniorum fortasse non minoris esset momenti, quam memorabilis; quippe quâ complures tollerentur errores. [6]

Quodsi universe haec crania comparentur cum illis *Balaenarum*, quae ad *Groenlandiam* capiuntur; cranium speciei Meridionalis, quoad magnitudinem, multò majores exhibet dimensiones. Brevius enim est in partibus posticis, ratione ambitus totius habitâ; ac multo minus incurvatur.

Maxilla inferior est multo rectior ac firmior. Ossa temporalia hîc antrorsum; in Septentrionali contra retrorsum diriguntur.

Ossa sincipitis in lateribus sunt magis horizontalia, et elasmia multum breviora, quam in *Balaenâ* Arcticâ. Reliqua sceleti pars videtur quoque aliquot aberrationes offerre; quae tamen non semper aeque insignes sunt.

Quum autem hae comparationes, solummodo nonnulla ossa specierum, incertae originis, spectent, et concretione vertebrarum colli, (quae tamen in diversis speciminibus ejusdem magnitudinis insigniter variat,) innitantur; reliquam explicationem hîc silentio praeterire, nobis satius videtur. [7]

Species B. SULCATA. (ANTARCTICA.)

Rorgual du Cap. CUVIER *Oss. Foss.*

Haec species in hemisphaerio Australi vice fungitur *Balaenopterae* Oceani Borealis, multiplice denominatione *Balaenae Rostratae, Boöpis, Musculi, Rorgualii, Physali* indicatae; quibus sub nominibus saepius ejus descriptio repetita est.

Quod attinet ad descriptionem harum specierum, lectores ablego hîc ad Tractatum nostri SCHLEGELII, supra laudatum; quum adeo ex icone et descriptione a Viro illo eruditissimo datis, exterior hujus animalis forma nobis accurate innotuerit. Ceterarum au-

(5) Conf. *Oss. Foss.* Tom. V, Tab. XXV, Fig. 1—4. Vid *ibid.* Fig. 5, 8.

(6) Conf. SCHLEGEL l. l., p. 16 et 17.

(7) Non probabilior videtur CUVIERII sententia, *aliam* adhuc adesse speciem. Cf. CUV. l. l., p. 369.

tem specierum quum nullae bonae icones extent, ne discrimen quidem in externâ utriusque hujus speciei formâ, edicere alicui licet.

Differentia vero praecipua, quae fere in craniis ambarum specierum nobis offertur, huc redit. Cranium in specie Antarctica, ratione posterioris partis, multo est latius; quod per latitudinem enormem ossium frontalium, et per directionem extrorsum obliquam ossium temporalium omnino efficitur. Ipsum vero cranium brevius compactum, rectiusque est. Verbo, videtur hac parte eadem formae aberratio locum habere, quae in illo *Balaenarum* observatur. (1)

Etiam hucusque difficillimum est definire in hisce animalibus, quatenus eae sceleti partes inter se differant. Numerus vertebrarum certe quam maxime variat. (2) At quum parvae mutationes in tam longâ, uniformique columnâ plane nihil possint efficere, quod ad functiones organorum vicinorum peragendas pertinet; potius haec differo, donec accuratior inquisitio instituta fuerit.

In extremitatibus differentia exigua videtur exstare: pelvis vero, quippe ossibus cartilaginosis constans, maxime diversas formas subire cernitur. (3)

Genus PHYSETER. LINN.

Species P. MACROCEPHALUS.

CACHELOT.

In dies verisimilius evadit, omnia, quaecunque naturae perscrutatores circa varias *Physeterum* species somniaverint, ad unum idemque animal referri posse.

Physeter noster, adeo celeber propter suum Spermacaetum, in certis anni tempestatibus, magno numero in troporum maribus oc-

(1) Directio *maxillae* inferioris, qualis fere in omnibus figuris CUVIERII nobis offertur, est minus accurata. Illa e contrario, quam RUDOLPHI dedit, probanda.

(2) Conf. SCHLEGEL l. l. p. 14.

(3) Conff. RUDOLPHI, CUVIER, SCHLEGEL, locis allegatis.

currit; non raro quoque cernitur in Sinu *Tabulari:* aut etiam per tempestatem in oras appellitur.

Quandoquidem nihil, quâdam auctoritate comprobatum, quod ad *Physeterem* pertinet, mihi cognitum est; ejus jam omittam descriptionem. Sceleton ipsius cognosci potest e CUVIERIO. (1)

Genus DELPHINUS. LINN.

Species D. CAPENSIS. — D. LONGIROSTRIS. GRAY.

GRAY, *Zool. Miscell.* I. p. 1 et 2.

Comparatio cranii originalis e collectione BROOKIANA, (2) e quo GRAY *Delphinum* suum *Longirostrem* constituit, cum magno numero *Delphinorum Capensium* instituta, me edocuit, utramque speciem omnino eandem esse habendam. Est autem haec species omnino analoga *Delphino Delphidi* (Arctico); quocum in plurimis convenit.

Quantum illud, quod in distinguendâ externâ *Balaenarum* formâ valet, etiam hîc locum habeat, cognovi ex accuratâ comparatione *Delphini Delphidis* et *Delphini Phocaenae,* cum suis analogis ad polum Antarcticum: fortasse ergo par eos denominandi methodus, etiam hîc, uti in *Balaenis,* deinceps haud immerito adhiberi possit.

Delphinus Africae Meridionalis, formis externis nequaquam ab Europaeo differt; uti patet ex accuratâ icone, quam exhibuit GRAY; et quam comparavi cum specimine effarcto *Delphini Delphidis,* quod in Museo Regio hospitatur.

Nulla enim mihi sese obtulit differentia, quod ad formam pertinet; nisi quam animalia exposita subire solent.

Crania autem *Delphinorum* Africae Austrinae exhibent, in aequali magnitudine, longe majorem tenuitatem diversamque dimensionem.

---

(1) *Oss. Foss.* Tom. III, p. 342.

(2) Haec emtione ad Museum LUGDUNO-BATAVUM pervenit.

Primo sunt ipsa multo angustiora; rostrum multo longius et regularius productum; dentes minores et numerosiores; maxilla inferior, antrorsum multum infirmior.

Comparatio Craniorum.

	Delphinus Capensis.	*Delphinus Delphis.*
Longitudo inde a spiraculo usque ad apicem maxillae superioris	0,31.	0,33.
A margine superiore cavitatis occipitis usque ad cristam occipitalem	0,75.	0,095.
Latitudo maxima cranii	0,15.	0,175.
Longitudo maxillae inferioris	0,345.	0,37.
Dentes in maxillâ superiore . . . . . Num.	53.	45.
Dentes in maxillâ inferiore . . . . . . »	54.	43.

Delphinus Capensis non raro offenditur in plagis Meridionalibus; imo saepe in sinu *Tabulari*.

Species HEAVISIDII.

GRAY, *Zool. Misc.* 1, 2. (1)
Phocaena Homei, SMITH in *Zool. Journ.* Tom. IV, p. 440.

Delphinus hic analogus est *Phocaenae* maria Arctica inhabitanti. Discrimen inter utramque *Phocaenam* revera magis in oculos cadit, quam quae inter ambas *Delphinum* species locum habet.

Corpus scilicet in specie Meridionali multo magis est extensum; cauda longior, nec non angustior; caput supernè minus rotundum. Pinnae pectoris breviores ac magis rotundatae.

---

(1) Dubium est, num DELPHINUS OBSCURUS GRAYI, l. l., huc quoque quodammodo referendus sit. Forsitan complures species DUSUMIERII, QUAYI ac GUIMARDI his accensendae forent. Propter difficiliorem tamen investigationem atque incertas relationes, credo, neminem mihi vitio versurum, si eas silentio praetermittam.

Mensura.

Inde ab apice rostri usque ad spiraculum	0,17.
A spiraculo usque ad anteriorem partem pinnae dorsalis	0,41.
Hinc usque ad caudam	0,73.
Pinnae pectoralis	0,15.

Insignem quoque notam externam suppeditat color albus, in ventre ac pectore: macula scilicet triangularis apparet post, uti linea obliqua ante pectoris pinnas.

In ventre similiter macula alba observatur; quae, in tres radios divisa, retrorsum vergit.

Duo radii extremi directione obliquâ adscendunt in altum.

Etiam sceleton veras exhibet differentias. Cranium est multo magis depressum; imprimis, quia magna occipitis crista, quae transverse per caput extenditur, retro cedit. Os occipitis minus extensum est; dentes numero plures, deformiores, ac magis fastigati.

Maxilla inferior fortius prominet.

Comparatio.

	Delph. Phocaenae.		*Delph. Heavisidii.*	
Dentes in Maxillâ Superiore . .	Num.	24.	Num.	26.
» » » Inferiore . .	»	20.	»	25 ad 26.
Vertebrae dorsales	»	13.	»	13.
» Lumbales et caudales	»	44.	»	46.
Longitudo totius capitis		0,25.		0,30.

Sceleton e contrario, speciei Arcticae est generatim multo robustius; imprimis vero in oculos incurrunt processus spinosi ac transversi; qui in Capensibus multo sunt longiores et arctiores. Minores quoque dimensiones observantur ad scapulam.

Pariter, ac species praecedens, haec quoque in variis Promontorii Africae Meridionalis sinubus degit.

ADDITAMENTUM

AD

GENUS VESPERTILIONUM,

quod memorabatur supra pag. 7 seq.

Species V. TRICOLOR. (Nova Species.)

Magnitudo novae hujus speciei tertiâ parte minor est, quam ea VESPERTILIONIS SEROTINI. Auriculae longae sunt, obtusis ac reflexis acuminibus, in anticâ parte emarginatae.

Tragus longus est, falcatus et introrsum flexus. Rostrum breve ac tumidum. Dentes $^2/_2$ acuminati sunt in maxillâ superiore; in inferiore sex, tribus lobis instructi, adsunt.

Pili sunt laeves, in superioribus partibus minus longi ac triplicis coloris; scilicet brunneo-nigri ad basin, luteo-albi in mediâ parte, atque ad apicem rubri.

Inferior corporis pars duplicem speciem offert; nimirum fuscam ad basin: at in reliquâ portione exstat color luteo-albus; latera colli ac pectus colore lucide rufo tinguuntur.

Membranae sunt pallide fuscae.

Universa longitudo est trium pollicum ac decem linearum.

Alarum vero extensio aequat duodecim pollices.

Antibrachium pollicem unum cum decem lineis longum est.

Species V. EPICHRYSUS. (Nova Species.)

Haec species magnitudinem VESPERTILIONIS NOCTULAE non videtur adsequi. Aures, mediocri longitudine instructae, sunt erectae, acuminatae, extrorsum valde emarginatae; auriculae rectae, lanceae formam prae se ferentes; rostrum paulo obtusius; cauda longissima; nasi aperturae sibi proximae sunt.

Pellis densissima, brevis, glabra; pili sunt versicolores; in su-

periore parte brunnei, ad basin albi, in mediâ parte lutei, atque acuminibus ardenter rubris instructi. Inferne ad basin iidem exstant brunnei; apicem versus autem lucide russei conspiciuntur.

Longitudo universa est	4	pollicum.
Caudae	1	»
Volatus	12	»

Species V. PLATYCEPHALUS. (Nova Species.)

$2\text{-}2/4.$

Paulo major, quam VESPERTILIO PIPISTRELLUS. Caput valde depressum; oculi obtusi, lati. Os late patens. Aures sunt oblique expansae, superne dimidiâ parte pilosae, ad apicem rotundatae; inferius versus ad brachiorum commissuram in appendice membranaceâ exeuntes.

Auricula conspicitur instar folii introrsum conversa.

Pellis est crassa, lanosa et mediocriter longa. In superiore parte color ejus est brunneo-niger, item ad basin; in apice autem brunneo-ruber. In partibus inferioribus sunt acumina speciei albo-brunneae. Regio pubis est sub-alba.

Membranae interfemoralis pars superior dimidiâ portione est pilosa; inferior vero inermis.

Longitudo Corporis	3	poll.	1	lin.
Caudae	1	»		
Volatus	9	»		
Antibrachii	1		$1\frac{1}{2}$	»

Hae novae species, tres numero, repertae sunt prope Urbem Capensem, et per Eruditissimum HORSTOCK ad Regium Museum, saepius memoratum dimissae; ubi earum sceleti atque effarcta specimina conspici possunt.

Genus SOREX.

Species S. VARIUS. (Nova Species.)

Hujus generis una tantum species mihi innotuit; quae in circuitu sinus ALGOACI (*Algoa-Baai*) offenditur, et nunc ad Regium Museum in hac Urbe deferebatur; quo loco igitur jam extat.

Manifeste utique incurrit in oculos magna illa convenientia, quae huic nostro SORICI cum SORICE ARANEO intercedit; optabile vero restat, ut ii, quibus major harum specierum mutuo comparandarum datur ansa, accuratiores notas characteristicas, earum ratione constituere tentent.

Distinguitur autem haecce species a SORICE ARANEO per rostrum brevius, pilos molliores, magisque lanosos; qui simul minus unicolores reperiuntur; item per breviores, pilosas ac sub vellere latentes aures. Utraque tamen species magnitudine ac dimensione prorsus inter se convenit.

Hujus speciei ora valde sunt robusta: dentes lucide albi; ceterum cum iis SORICIS ARANEI conveniunt. Rostrum est acuminatum. Mystaces frequentes ac mediocri longitudine instructi; aures parvae, pilis obsitae latent. Extremitates iis SORICIS ARANEI pares sunt. Cauda tamen paulo est tenuior: etiam hîc singuli illi desunt pili longiores, qui SORICEM ARANEUM insigniunt.

Omnis longitudo, inde a nasi apice ad caudae basin usque, est 0,09.
Caudae ipsius . . . . . 0,04.

Pellis est mollissima et aliquantum lanosa; pari longitudine instructa. Color variegatur russeo-brunneâ ac subnigrâ specie: ita tamen, ut omnes pili ad basin nigri, in acuminibus vero rubrobrunnei cernantur. Inferiora versus color quidem ultimo loco dictus frequentior evadit; mox autem pallidior videtur, atque ad ventrem in subalbam commutatur speciem.



MERIONES SCHLEGELII.

(Mus. Leid.)

Tab. II.



MUS. DOLICHURUS

(Mus Lead.)

Tab. III.




Fig. 1-5. MERIONES SCHLEGELII. Fig. 6-7. MANIS TEMMINCKII.

CORRIGENDA.

Pag.	5	versu	11	*extentio*	legatur	*extensio*
»	48	»	ult.	*videntur*	»	*videtur*
»	74	»	1	*uropi-*	»	*uropy-*
»	»	»	29	*hae*	»	*haec*
»	75	»	15	*duriusculae*	»	*duriusculi*
»	81	»	21	*hoc*	»	*hac*
»	98	»	27	*redeunt*	»	*redeant*

Si quid aliud emendandum occurrit, indulgenter accipiat Benevolus Lector!